

LIBER I. DECRETALIU.

TITUL. I.

DE SUMMA TRINITATE, ET FIDE CATHOLICA.

25



Eus Æternus sine principio, & sine fine, est omnium principium, & finis. Ipse enim est *Alpha*, & *Omega* (juxta Græcorum phrasim) ipse est *Aleph*, &

Tau ut explicant Hebræi. Omnia procedunt ab ipso, cum nihil sit, à quo ipse procedat. Omne datum optimum, & omne donum perfectum, ab ipso, qui pater luminum est, descendit; ad ipsum ergo omnia opera nostra dirigi debent. Ipse est Supremus Legislator, per quem Reges regnant, & Principes juxta decernunt. Et ideo omnes ferè Legislatores Christiani in dominij supremi recognitionem suarum Legum volumina à Titulo de *Summa Trinitate, & Fide Catholica* incipiunt. Sic Justinian. in suo Codice. Sic R. N. Alphonsus in suo Septipartito jure. Sic N. Catholici Reges in suarum Legum Compilationibus. Sic denique Legislatores Ecclesiastici nostrum jus Canonicum ab hoc Titulo incipiunt: ab eo ergo debemus, & nos has Canonicas Dissertationes incipere, ad ipsumque Deum dirigere, ipsum cum Ecclesia rogantes, ut cuncta nostra oratio, & operatio ab ipso semper incipiat, & per ipsum cœpta finiatur.

26 In hoc Libro I. Decretalium instruitur à Greg. IX. Judex Ecclesiasticus, & docetur, quid circa fidem, & præcipue circa Altissimum Trinitatis mysterium credere, & tenere, quid vitare, & fugere debeat. Et ideo aliquid de fide dicere oportet. Fides enim est radix, & principium nostræ justificationis, in qua nostræ salutis spirituale fundatur ædificium, sine qua impossibile est placere Deo, & ad filiorum ejus consortium pervenire. *Trid. Sess. 6. de Justif. cap. 8.* fides est una ex tribus virtutibus Theologicis, teste *Apost. 1. Cor. 13. v. fin.* & ab ipso Apostolo definitur. *ad Hebr. 11. Sperandarum substantiarum, argumentum non apparentium:* quam definitionem propugnat, & sic explicat *Angelicus Scholasticus Mag. 2. 2. q. 4. art. 1.* *Fides est habitus mentis, quo inchoatur vita æterna in nobis, faciens intellectum assentiri*

non apparentibus. Pro objecto formali habet authoritatem Divinam revelantem. Ex eo enim, quod Deus sit infallibilis in suis dictis, quando nobis loquitur, inferimus, quod quando hic, & nunc nobis aliquid revelat, & dicit, illud est omnino verum. Hæc infallibilitas habetur in Deo præcise, & necessario per sapientiam, & veracitatem Divinam tam respectu revelationis assertoriae, quam promissoriae. Nam si summe sapiens est, non potest falli; si summè verax est, non potest fallere, ac proinde in his præcise perfectionibus supposita revelatione, habemus antecedens connexum cum veritate objecti revelati. De quo latius cum de fide Theologicè scriberem. Objectum materiale fidei sunt ipsa mysteria revelata. Et quidem præcipua nostræ fidei mysteria à Concilio Later. sub Innoc. III. referuntur in hoc Titulo. Concilij verba ad litteram referam, quia nihil proprius, & expressius ad tantorum mysteriorum explanationem excogitari valet: ait ergo.

26 Firmiter credimus, & simpliciter confitemur, quod unus solus est verus Deus, æternus, immensus, & incommutabilis, incomprehensibilis, omnipotens, & ineffabilis: Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus: tres quidem Personæ, sed una Essentia, substantia, seu natura, simplex omnino: Pater à nullo, & Filius à Patre solo; ac Spiritus Sanctus pariter ab utroque: absque initio semper, ac sine fine: Pater generans, Filius nascens, & Spiritus Sanctus procedens: Consubstantialis, & coæuales, & coomnipotentes, & cœterni: Unum universorum principium: Creator omnium visibilium, & invisibilium, spiritualium, & corporalium: qui sua omnipotenti virtute simul ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam, spiritualem, & corporalem, Angelicam videlicet, & mundanam: ac deinde humanam, quasi communem ex spiritu, & corpore constitutam. Diabolus enim, & alij Demones à Deo quidem natura creati sunt boni; sed ipsi per se facti sunt mali. Homo verò diabolus suggestionem peccavit. Hæc Sancta Trinitas secundum communem Es-

de Summa Trinitate, & Fide Catholica.

11

sentiam individua, & secundum personales proprietates discreta. Primo per Moysen, & Sanctos Prophetas, aliosque famulos suos, juxta ordinatissimam dispositionem temporum, doctrinam humano generi tribuit salutarem. Et tandem Unigenitus Dei Filius Jesus Christus à tota Trinitate communiter incarnatus, ex Maria semper Virgine, Spiritus Sancti cooperatione conceptus, verus homo factus, ex anima rationali, & humana carne compositus, una in duabus naturis persona viam vitæ manifestius demonstravit. Qui cum secundum Divinitatem sit immortalis, & impassibilis, idem ipse secundum humanitatem, factus est mortalis, & passibilis, qui etiam pro salute humani generis in ligno Crucis passus, & mortuus, descendit ad inferos, resurrexit à mortuis, & ascendit in Cœlum: sed descendit in anima, & resurrexit in carne: ascenditque pariter in utroque: venturus in fine sæculi, judicaturus vivos, & mortuos; & rediturus singulis secundum opera sua, tam reprobis, quam electis: qui omnes cum suis proprijs resurgent corporibus, quæ nunc gestant, ut recipiant secundum opera sua, sive bona fuerint, sive mala. Illi cum diabolo poenam perpetuam, & isti cum Christo gloriam sempiternam. Una verò est fidelium universalis Ecclesia, extra quam nullus omnino salvatur. In qua quidem ipse Sacerdos est sacrificium Jesus-Christus: cujus corpus, & sanguis in Sacramento altaris sub speciebus panis, & vini veraciter continetur, transubstantiatis pane in corpus, & vino in sanguinem, potestate Divina: ut ad perficiendum mysterium unitatis accipiamus ipsi de suo, quod accepit ipse de nostro. Et hoc utique sacramentum nemo potest conficere, nisi Sacerdos, qui rectè fuerit ordinatus secundum Claves Ecclesiæ, quas ipse concecit Apostolus, eorumque successioribus Jesus-Christus. Sacramentum verò baptismi, (quod ad Dei invocationem, & individua Trinitatis, videlicet, Patris, & Filij, & Spiritus Sancti consecratur in aqua) tam parvulis, quam adultis in forma Ecclesiæ, à quocunque ritè collatum proficit ad salutem. Et si post susceptionem baptismi quicumque prolapsus fuerit peccatum, per veram potest semper poenitentiam reparari. Non solum autem Virgines, & continentes, verum etiam conjugati, per rectam fidem, & operationem bonam placentes Deo, ad æternam merentur beatitudinem pervenire.

28 Damnamus ergo, & reprobamus libellum, seu tractatum, quem Abbas Joa-

chim edidit contra Magistrum Petrum Lombardum de Unitate, seu Essentia Trinitatis, appellans ipsum hæreticum, & infanum, pro eo quod in suis dixit Sententijs, quoniam quædam summa res est Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus, & illa non est generans, neque genita, neque procedens: undè asserit, quod ille non tam Trinitatem, quam quaternitatem astruebat in Deo, videlicet, tres personas, & unam communem Essentiam, quasi quartam, manifestè protestans, quod nulla res est, quæ sit Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus, nec est Essentia, nec substantia, nec natura: quamvis concedat, quod Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus sunt una essentia, una substantia, unaque natura, verum unitatem hujusmodi, non veram, & propriam, sed quasi collectivam, & similitudinariam esse fateatur, quemadmodum dicuntur multi homines unus populus: & multi fideles una Ecclesia: juxta illud: multitudinis credentium erat cor unum, & anima una: Et, quia adheret Deo, unus Spiritus est cum illo. Item ille qui plantat, & qui rigat, unum sunt: Et omnes unum corpus sumus in Christo. Rursus in libro Regum. (Populus meus, & Populus tuus, unum sunt) Ad hæc autem suam sententiam adstruendam, illud potissimum verbum inducit, quod Christus de fidelibus inquit in Evangelio: Volo, Pater, ut sint unum in nobis, sicut & nos unum sumus: ut sint consummati in unum. Non enim (ut ait) fideles Christi sunt unum, id est, quædam una res, quæ communis sit omnibus, sed hoc modo sint unum, id est, una Ecclesia, propter Catholicæ fidei unitatem, & tandem unum Regnum, propter unionem, indissolubilis charitatis, quemadmodum in Canonica Joannis Apostoli epistola legitur: quia tres sunt, qui testimonium dant in Cœlo: Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus, & hi tres unum sunt. Statimque subiungitur, & tres sunt, qui testimonium dant in terra: spiritus, aqua, & sanguinis; & hi tres unum sunt, sicut in quibusdam codicibus invenitur. Nos autem, sacro approbante Concilio, credimus, & confitemur cum Petro Lombardo, quod una quædam summa res est, incomprehensibilis quidem, & ineffabilis, quæ veraciter est Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus; tres simul personæ, ac sigillatim quælibet earumdem: & ideo in Deo solummodo Trinitas est, non quaternitas: quia quælibet trium personarum est illa res, videlicet Substantia, Essentia, seu natura Divina: quæ sola est universorum

principium, præterquod aliud inveniri non potest. Et illa res non est generans, neque genita, nec procedens; sed est Pater, qui generat: & Filius, qui gignitur: & Spiritus Sanctus, qui procedit: ut distinctiones sint in personis, & unitas in natura. Licet igitur alius sit Pater, alius Filius, alius Spiritus Sanctus; non tamen aliud: sed id, quod est Pater, est Filius, & Spiritus Sanctus, idem omnino: ut secundum orthodoxam, & Catholicam fidem, consubstantialia esse credantur. Pater enim ab æterno Filium generando, suam substantiam ei dedit, juxta quod ipse testatur: Pater, quod dedit mihi majus omnibus est. Ac dici non potest, quod partem substantia suæ illi dederit, & partem ipse sibi retinuerit. Cum substantia Patris indivisibilis sit, utpote simplex omnino. Sed nec dici potest, quod Pater in Filium transferat suam substantiam generando, quasi sic dederit eam Filio, quod non retinuerit ipsam sibi: alioquin delisset esse substantia. Pater ergo, quod sine ulla diminutione Filius nascendo substantiam Patris accipit: & ita Pater, & Filius habent eandem substantiam: & sic eadem res est Pater, & Filius, necnon Spiritus Sanctus ab utroque procedens. Cum ergo Veritas pro fidelibus suis orat ad Patrem: volo (inquiens) ut ipsi sint unum in nobis, sicut & nos unum sumus: hoc nomen: unum, pro fidelibus quidem accipitur, ut intelligatur unio charitatis in gratia: pro personis verò Divinis, ut attendatur identitatis unitas in natura, quemadmodum alibi Veritas ait: estote perfecti, sicut & Pater vester Cœlestis perfectus est; ac sic diceret manifestius, estote perfecti perfectione gratiæ, sicut Pater vester Cœlestis perfectus est perfectione naturæ. Utraque videlicet, suo modo: quia inter Creatorem, & creaturam, non potest tanta similitudo notari, quin inter eos major sit dissimilitudo notanda. Si quis igitur sententiam, vel doctrinam præfati Joachim in hac parte defendere, vel approbare præsumpserit, tanquam hæreticus ab omnibus evitetur. Reprobamus etiam, & condemnamus perverissimum dogma impij Almarici, cujus mentem sic pater mendacij excecavit, ut ejus doctrina, non tam hæretica, quam insana sit censenda. Hucusque verba Concilij.

29 Almaricus, de quo hic fit mentio, fuit quidam Doctor Parisiensis, qui Gallicè dicebatur *Amaury*. Inter alios errores dicebat, quod si Adam non peccasset, homines sine generatione multiplicarentur; etiam assererat, quod Patris æterni

potestas non fuit potestata ultra Legem Mosaicam, & quod Novum Testamentum promulgatum à filio; jam suo tempore cessaverat, simul cum Sacramentis, & quod tempus Spiritus Sancti incaperat: de cujus gratia affirmabat, quod ejus beneficio homines non amplius fiebant rei peccati, etiam adulterii, vel alia flagitia committerent. Sic *Moreri in Hist. v. Amaury.*

30 *Greg. X. in C. un. b. t. in 6. deducto ex Concilio Lugdunensi damnat eos, qui asserunt, Spiritum Sanctum non procedere à Patre, & à Filio, tanquam ab uno principio, & una spiratione, sed tanquam à duobus principiis. Tenendum ergo est, quod Spiritus Sanctus ex Patre, & Filio, non tanquam ex duobus principiis, sed tanquam ex uno principio, non duabus spirationibus, sed unica spiratione æternaliter procedit.*

31 *Clem. V. in Clem. un. b. t. deducta ex Conc. Viennensi, definit: Unicum Dei Filium, unà cum Patre æternaliter subsistentem assumpserit de B. Virgine verum corpus humanum, & animam intellectivam, seu rationalem, & in eo passum fuisse, & jam mortuum lancea perforatum: sicut dicit D. Joannes, & ipse Pontifex approbat hujus Evangelistæ, in hoc narrando, ordinem. Reprobat tamen, & damnat tanquam hæreticum, eum, qui tenaciter præsumat defendere, quod anima rationalis, seu intellectualiva non sit forma corporis humani per se, & essentialiter. Et circa baptismum parvulorum ait: Nos autem attendentes generale officium mortis Christi (qua per baptismum applicatur pariter omnibus baptizatis) opinionem secundam, qua dicit, tam parvulis, quam adultis conferri in baptismo informantem gratiam, & virtutes, tanquam probabiliorum, ac divinis Sanctorum, ac DD. modernorum Theologia magis consonam, & concordem, Sacro approbante Concilio, duximus eligendam.*

32 Denique his temporibus SS. Pontifices, sequentes damnarunt propositiones ad Fidei materiam pertinentes. *Alex. VII. die 24. Sept. An. 1665.* hanc damnavit. 1. Homo nullo unquam vita sua tempore tenetur elicere actum Fidei, Spei, & Charitatis ex vi præceptorum Divinorum ad eas virtutes pertinentium. *Imoc. XI. die 2. Mart. An. 1679.* has suo ordine damnavit. 4. Ab infidelitate excusatur infidelis non credens ductus opinione minus probabili. 16. Fides non censetur cadere sub præceptum speciale, & secundum se. 17. Satis est, actum fidei semel in vita elicere. 18. Si à potestate publica quis interrogetur fidem ingenie consti-

rit:

ri: ut Deo, & fidei gloriosum Consulo, tacere; ut peccaminosum per se non damno, 19. Voluntas non potest efficere, ut assensus fiat in se ipso sit magis firmus, quam mereatur pondus rationum ad assensum impellentium. 20. Hinc potest quis prudenter repudiare assensum, quem habebat supernaturalem. 21. Assensus fidei supernaturalis, & utilis at salutem fiat cum notitia solam probabili revelationis; imò cum formidine, qua quis formidet, ne non sit loquutus Deus. 22. Non nisi fides unius Dei necessaria videtur necessitate medijs, non autem explicita remuneratoris. 23. Fides latè dicta ex testimonio creaturarum, similiter motivo ad justificationem sufficit. 64. Absolutio capax est homo, quantumvis laboret ignorantia mysteriorum fidei, & etiam per negligentiam, etiam culpabiliter nesciat mysterium Sanctissime Trinitatis, & Incarnationis D. N. J. Christi. 65. Sufficit illa mysteria semel credidisse. *Alex. VIII. die 8. Decemb. An. 1690.* has damnavit. 8. Necessi est, infidelem in omni opere peccare. 11. Omne, quod non est ex fide Christiana supernaturali, que dilectionem operatur, peccatum est. 12. Quando in magnis peccatoribus deficit omnis amor, deficit etiam fides: & etiam videantur credere, non est fides Divina, sed humana. 29. Futilis, & toties conclusa est assertio de Pontifici Romani super Concilium Acumenicum autoritate, atque in fidei questionibus decernendis infallibilitate.

33 Publicam fidei professionem tenentur facere, sive per se, sive per Procuratorem. *Arg. C. 68. de Reg. jur. in 6.* juxta modum, & formam, & sub penis statutis, provisi de Beneficio curam animarum habente: provisi de Canonicatibus, seu Dignitatibus in Ecclesijs Cathedralibus, intra duos menses à die pacificæ possessionis, coram Episcopo, vel ejus Vicario: & Canonici etiam coram Capitulo. *Trid. Sess. 24. de Ref. cap. 12.* Promovendi in Patriarchas, Primates, Archiepiscopos, & Episcopos, in prima Synodo Provinciali, in qua interfuerint. *Trid. Sess. 25. de Ref. cap. 2.* Prelati Regulares. *Pius IV. in Constit. Injunctum. Eait idib. Nov. An. 1564.* Doctores, & Magistri. *S. Pius V. in Const. Sacrosancta, apud Barb. in Trid. Sess. 24. cap. 12. ex n. 14.* Sed consecratus Religioſum, & univ. verfitatum in hoc omnino attendenda est.

* * *

De Constitutionibus.

34 Licet constitutio (que sic dicitur à constituendo, id est, simul statuendo) distinguatur à Legge, jure, Decreto, & statuto, & ut distincta à diversis utilibus Digestorum inveniantur, laudatamen modo de his omnibus sub hoc Titulo agemus, cum multoties eodem modo accipiuntur. *Lex (juxta D. Thom. 1. 2. q. 90. art. 4.) est ordinatio rationis ad bonum commune ab eo, qui curam civitatis atque habet, promulgata.* Vel clarius potest definiri. *Lex est Decretum Principis, vel Magistratus Supremi, ut S. Pontificis, Imperatoris, Regis, vel Republice libera.* *Arg. text. in §. 4. & 6. Instit. de Jur. natur. quod sententia comprehendit tam Ecclesiastica, quam Civilia jura.* Differt à Consilio: eo quod Consilium suadeat citra obligationem, Lex verò obligationem inducit. *Lex enim dicitur à ligando, quia obligat ad agendum.* *D. Thom. 1. 2. q. 90. art. 1.* A præcepto seu mandato differt in eo, quod Lex datur communitati, mandatum privato tantum, & personis singularibus; Et ideo Lex dicitur commune præceptum, *L. 1. ff. de Legib. & hoc exprimit morte præcipientis, vel ejus, qui præcipitur, secus Lex.* Hæc potius adheret loco, seu territorio Legislatoris, quam personis: scilicet præceptum, quod quidem personis adheret. *Trid. in 35.* Qualis debeat esse Lex, optimè explicat *Text. in C. 2. D. 4. ibi: Erit autem Lex honesta, justa, possibilis, secundum naturam, secundum Patriam consuetudinem, locum, temporisque conveniens, necessaria, utilis, manifesta quoque, ne aliquid per obcuritatem in captivum contineat; nullo privato commodo, sed pro communi civium utilitate conscripta.* Debet enim Lex pro fine bonum commune habere. Nam licet respiciat aliquem statum particularem, v. gr. Militum, Pupillorum, vel Minorum, illum respicit in communi, & ad bonum commune dirigit. *Omnis autem Lex (ait text. in C. 4. D. 3.) aut permittit aliquid, aut vit fortis petat premium, aut vetat, ut Sacrarum Virginitatis nuptias nulli petere liceat: aut puniat, ut qui eadem fecerit, capite plectatur: ejus enim premium, aut pena, vitæ moderatur humana: Divina autem præcipit, ut diligas Dominum Deum tuum. L. 7. ff. de Legib. Lex, que permittit, licet non sit Lex respectu illius, cui sit permissio, est tamen respectu aliorum, quibus per eam injungitur, ne impediant eum, cui permissio est facta. Lex punitiva obligat Judices ad penam executionem, & subditos ad illam subitendam.*

Ma-

36 Materia Legis non solum debet esse physice possibilis, sed & moraliter, hoc est, quod non sit nimis ardua, aut difficilis: nemò enim ad impossibile tenetur. L. 185. ff. de Reg. jur. C. 6. eod. in 6. & impossibilitatem, & valde difficultatem idem est iudicium. L. 137. §. 6. ff. de V. Oblig. Barb. axiom. jur. v. Impossibile, n. 8. Ideò nequeunt præcipi actus Consiliorum Evangelicorum, ut de castitate deducitur ex D. Paul. 1. Cor. 7. v. 25. Et c. 13. 32. q. 1. ibi: *Sola est enim Virginitas, quæ suaderi potest, imperari non potest.* Nam talis Lex non esset fragilitati humanæ accomodata, ut esse debet, C. 2. D. 4. Actus merè interni per se, & directè non actus sub Legem, vel præceptum humanum, C. 34. de Simon. ibi: *Nobis datum est de manifestis tantummodò iudicare.* Undè desumptum est illud, etiam à Laicis proclamatum axioma: *de oculis non iudicat Ecclesia.* Sic D. Thom. 1. 2. q. 91. art. 4. in Corp. Et q. 100. art. 9. Suar. de Legib. l. 4. cap. 12. §. 13. & alij contra Gl. in Cl. 1. de Heret. §. Verum, v. Eo ipso. Adrian. & alios. Indirectè tamen possunt prohiberi, vel præcipi à Legislatore humano actus interni, quatenus nimirum necessarij sunt ad actum externum ritè ponendum: quia sic non præcipiuntur immediate ratione sui, sed ratione actus externi, ad quem sunt necessarij. Sic Ecclesia potest præcipere attentionem in recitandis Horis Canonicis, dolorem in Confessione Sacramentali, poenitentiam, & nullius peccati mortalis conscientiam in Sacra Communione, facit D. Thom. 1. 2. q. 100. art. 9. Suar. l. 4. de Leg. cap. 13. contra Vazq. & alios. Et patet ex propositione 14. inter damnatas ab Alex. VII. *Qui facit confessionem voluntariè nullam, satisfacit præcepto Ecclesie.* Et ex propositione 55. inter damnatas ab Innoc. XI. *Præcepto Communionis annua satis fit per sacrilegam Domini manducationem.* Cum ergo hæc propositiones sint damnatae, supponit Ecclesia, posse præcipi fidelibus, non solum actus externos confessionis, & communionis, sed etiam internos doloris, poenitentiae, praviæ devotionis, & reverentiae. Gutierrez Hurtad. in Exposit. prop. 54. ex n. 2. alijque propositionum damnatarum Expositores. Nec potest Lex præcipere actum inhonestum; imò nec indifferentem, nisi hic, & nunc ad finem intentum à Legislatore conductus; alias Lex non esse positive honesta: potest tamen Lex actus indifferentes permittere; imò & inhonestos ad majora mala vitanda.

37 Forma Legis sunt verba, quibus Legislator manifestat subditis suam volun-

tatem, non suadendo, sed præcipiendo, vel prohibendo. Et talia sunt hæc: *Præcipimus, mandamus, prohibemus, interdicimus, imbibemus, obligamus, teneantur, necesse est, non liceat, nemò possit, &c.* Dubia sunt hæc: *Statuimus, ordinamus, sancimus, innovamus, decernimus, volumus, &c.* quæ interpretanda sunt ex adjunctis, & juxta consuetudinem Regionis, quæ est optima Legum interpret. L. 37. ff. de Legib. cap. 8. de Consuet. Quod si omnibus perceptis, maneat dubium, haberi debent, ut consilium, non ut præceptum, quia possidet libertas.

38 Ex forma, & modo ipso concipiendi Legem constat, quod consilium, vel Lex præceptiva respicit futura; non præterita. L. 7. ff. de Legib. c. 2. b. t. Trid. Sess. 25. de Ref. cap. 12. l. fin. tit. 14. p. 3. l. 6. tit. 1. lib. 2. R. Cast. Suar. de Legib. l. 3. cap. 14. quia Lex ponitur ut regula operationis; regula enim debet ad opus supponi, cum suo modo principium actionis sit. Deinde, materia Legis debet esse possibilis; & ad præteritum, ut præterito tempore factum, aut infectum est, non datur potentia, C. 11. 32. q. 5. Lex vero declarativa Legis antiquæ comprehendit non solum summas, sed & præterita. C. 40. 27. q. 1. C. 40. de Simon. C. 5. de Usur. quia non ponit novum jus, sed tantum manifestat antiquum. Actus præteriti bene possunt per Legem irritari, Arg. c. fin. b. t. ibi: *Nisi nominatim in eis de præteritis caveatur, quia non est minor vis Legis, quam sententiæ, quæ præterita respicit: sed tunc non tam respicit actiones præteritas, quam effectus earum, qui adhuc subsunt jurisdictioni Legislatoris, si expressè velit, eos irritare, ut notat D. Gonz. in c. 2. b. t. n. 16.*

39 Publica promulgatio est de ratione Legis humane, ita ut hæc non obliget, licet à Principe sit decreta, & promulgari mandata, aut etiam si privatim ficiantur. C. 2. D. 4. ibi: *Manifesta, C. 3. §. Leges, D. 4. ibi: Leges inficiuntur, cum promulgantur, firmantur, cum moribus utentium approbantur.* L. 9. C. de Legib. D. Thom. 1. 2. q. 90. art. 4. Suar. de Legib. l. 1. cap. 11. n. 3. §. 6. quia cum sit regula publica totius communitatis debet proponi modo publico communitati; v. gr. voce præconis, nec aliter potest obligare, nisi applicetur per promulgationem, ut in notitiam veniat hominum, qui secundum eam regulare, & mensurare suas actiones debent. Nec statim à promulgatione solet obligare, sed regulariter solum clauso bimetro, C. fin. Ne Cler. vel Monac. nisi in ipsa Lege ex-

pri-

præparator tempus ad obligandum. Trid. Sess. 7. de Ref. cap. 2. C. 32. de Prab. in 6. vel si in ipsa Lege adiciatur, quod statim obliget post promulgationem. Postquam vero Lex promulgata est, ex se obligat omnes, ad quorum notitiam potuit pervenire: Et sic præsumitur in foro externo, nec esse necesse, ut alia intimatio, quasi juridica fiat singulis, C. 1. de Postul. Prælator. Et est probabile, eandem solemnitatem promulgationis requiri in Legibus Ecclesiasticis, quæ late sunt, pro pluribus Diocesis, cum valde durum esset, Pontificem velle ob publicationem factam Romæ subditos valde distantes obligare. Undè regulariter fit publicatio per Prælatos, C. 13. de Penit. & remis. nisi aliud praxis observet, ut accidit in publicatione Bullæ Cœnæ. Gloss. in C. 2. b. t. v. Ante prohibitionem. Mol. tr. 2. de Just. & jure, D. 395. à n. 6. contra Suar. de Legib. l. 4. cap. 15.

40 Cum Pontifex immediatè recipiat à Christo D. independentè à Populo, potestatem Legislativam, Matth. 16. ibi: *Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in Cælis.* C. in Novo, D. 21. Joah. 21. *pasce oves meas.* Et quidem independentè à Consilio, vel contentu Cardinalium, C. 17. 9. q. 3. Circa res temporales potest Leges Civiles ferre in Territorio Sedi Apostolicæ in temporalibus subiecto; arg. C. 10. de Testam. minime verò in Regnis aliorum Principum, C. 8. D. 10. C. 13. de Judic. C. 6. D. 96. ibi: *Cum ad verum ventum est, ultra sibi, nec Imperator jura Pontificatus arripuit, nec Pontifex nomen Imperatorum usurpavit.* Nisi indirectè, quatenus hoc specialis necessitas exigit: *Cum generalitèr sit omni constitutioni, atque consuetudini derogandum, quæ absque peccato mortali non potest observari; C. fin. de Prescripto.* Tunc enim Lex Canonica corrigit Civilem, ut accidit in præscriptione mala fide continuata. Et hoc modo Christus Beato æternæ vitæ clavigerò terreni simul, & Cælestis Imperij jura commisit. C. 1. D. 22. Et sic verificatur: *Gladium esse sub gladio: & temporalem auctoritatem spirituali subijci potestati.* Extr. unam Sanctam, 1. de Major. & obed. int. com. Majores Ecclesie causa præsertim articulos fidei contingentes, vel pertinentes ad statum universalem Ecclesie; vel ad Canonizationem Sanctorum, vel ad uniendo, vel dividendo Episcopatus, vel ad Religionem approbandam, vel alia hujusmodi R. Pontifici reservantur, C. 3. de Baptism. C. 1. de Transl. Episc. c. fin. de Offic. Vic. in 6. Concilium Generale si accedat S. Pontificis auctoritas, secus sine illa, potest Leges universales condere, quia Divo Petro est concessus Principatus Ecclesie, independentè à Concilio: imò & ipse Pontifex supra Concilium est, C. 17. 9. q. 3. Suar. de Legib. lib. 4. cap. 6. adeo ut & Concilium congregatum tempore schismatis solum haberet potestatem ad ea, quæ sunt necessaria ad defensionem Ecclesie, & ad pacificandam eam, eligendo S. Pontificem certum: non verò potest Leges perpetuas pro universa Ecclesia statere. Suar. de Legib. lib. 4. cap. 6. n. 4.

41 Cum sit certum, esse inter homines potestatem Legislativam: *Quia ubi non est Governator, Populus corrumpet.* Prov. 11. v. 14. Hæc præcipue invenitur in R. Pontifice,

qui solus potest ferre Leges universales Ecclesiasticas pro tota Ecclesia. Extr. unam Sanctam, de Major. & obed. int. Com. Petro enim data est hæc universalis potestas à Christo D. Matth. 16. v. 19. ibi: *Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in Cælis.* C. in Novo, D. 21. Joah. 21. *pasce oves meas.* Et quidem independentè à Consilio, vel contentu Cardinalium, C. 17. 9. q. 3. Circa res temporales potest Leges Civiles ferre in Territorio Sedi Apostolicæ in temporalibus subiecto; arg. C. 10. de Testam. minime verò in Regnis aliorum Principum, C. 8. D. 10. C. 13. de Judic. C. 6. D. 96. ibi: *Cum ad verum ventum est, ultra sibi, nec Imperator jura Pontificatus arripuit, nec Pontifex nomen Imperatorum usurpavit.* Nisi indirectè, quatenus hoc specialis necessitas exigit: *Cum generalitèr sit omni constitutioni, atque consuetudini derogandum, quæ absque peccato mortali non potest observari; C. fin. de Prescripto.* Tunc enim Lex Canonica corrigit Civilem, ut accidit in præscriptione mala fide continuata. Et hoc modo Christus Beato æternæ vitæ clavigerò terreni simul, & Cælestis Imperij jura commisit. C. 1. D. 22. Et sic verificatur: *Gladium esse sub gladio: & temporalem auctoritatem spirituali subijci potestati.* Extr. unam Sanctam, 1. de Major. & obed. int. com. Majores Ecclesie causa præsertim articulos fidei contingentes, vel pertinentes ad statum universalem Ecclesie; vel ad Canonizationem Sanctorum, vel ad uniendo, vel dividendo Episcopatus, vel ad Religionem approbandam, vel alia hujusmodi R. Pontifici reservantur, C. 3. de Baptism. C. 1. de Transl. Episc. c. fin. de Offic. Vic. in 6. Concilium Generale si accedat S. Pontificis auctoritas, secus sine illa, potest Leges universales condere, quia Divo Petro est concessus Principatus Ecclesie, independentè à Concilio: imò & ipse Pontifex supra Concilium est, C. 17. 9. q. 3. Suar. de Legib. lib. 4. cap. 6. adeo ut & Concilium congregatum tempore schismatis solum haberet potestatem ad ea, quæ sunt necessaria ad defensionem Ecclesie, & ad pacificandam eam, eligendo S. Pontificem certum: non verò potest Leges perpetuas pro universa Ecclesia statere. Suar. de Legib. lib. 4. cap. 6. n. 4.

42 Papam in Jure Naturali dispensare non posse, neque contra ipsum Legem condere; constat ex eo, quod Jus Naturale est immutabile, §. 11. Inst. de Jur. Natur. Et quæ illo prohibentur, sunt intrinsicè mala; & inhonestas, D. Thom. 1. 2. q. 100. art. 8. Quando dispensat in votis, juramen-

mentis, matrimonio rato, & residentia Ecclesiae, quorum obligatio ex jure naturae oriri videtur, non dispensat directe in obligatione naturali voti, sed Dei nomine, & auctoritate relaxat promissionem ipsi factam; qua relaxatione facta, per se corrumpit obligatio voti, & juramenti. Nec in Jure Divino potest dispensare. Sic D. Thom. 1. 2. q. 97. art. 4. ad 3. unde sicut in Lege humana publica non potest dispensare, nisi ille, a quo Lex auctoritatem habet, vel is, cui ipse commiserit; ita in preceptis juris Divini, quae sunt à Deo, nullus potest dispensare, nisi Deus, vel cui ipse specialiter commiserit. Quando in C. 7. 25. q. 1. dicitur: *Contra statuta Patrum condere aliquid, vel mutare, nec hujus quidem Sedis potest auctoritas*: intelligitur de statutis pertinentibus ad fidem Catholicam, vel Jus Naturale, vel Divinum, juxta dicta. Tunc enim R. Pontifex debet statuta Patrum observare, & tueri, C. 4. C. 5. C. 9. 25. q. 1.

43 Leges Ecclesiasticas particulares condere possunt, 1. Cardinales; sed non nisi in Ecclesijs suorum Titulorum, C. 11. de Major. & obed. 2. Legati Sedis Apostolicae; sed solum in Provincijs suae Legationis; & durant, etiam finit Legatione, c. fin. de Offic. Legat. 3. Patriarchae, Primates, Archiepiscopi, & Episcopi; sed singuli tantum pro sua particulari Dioecesi, C. 2. de Major. & obed. C. 2. b. t. in 6. Archiepiscopi non possunt ferre Leges in Dioecesi suorum suffraganeorum, C. 7. 9. q. 3. Capitulum, vivente Episcopo, potest, eo inquisito, statuta in rebus parvi momenti Capitulares obligantia condere; arg. C. 6. b. t. non tamen potest Legem ferre in Dioecesanis, cum in hos non habeat jurisdictionem, nisi mortuo Episcopo. Nec in rebus gravioribus potest condere statuta, etiam Capitularia, sine consensu Episcopi; arg. C. 8. b. t. Suar. de Legib. lib. 4. cap. 6. ex m. 11. 4. Generales Religio-num, Abbates, & alij Praelati juxta prescriptum suarum Constitutionum possunt Leges condere. 5. Capitula Ecclesiarum Collegiarum, aliaeque communitates Ecclesiasticae, & Saeculares, licet Leges non possint condere, possunt tamen facere statuta, etiam ad culpam, & poenam obligantia in rebus levioribus, ut consuetudo plurium communitatum testatur.

44 6. Concilia Dioecelana pro suis Dioecibus, Provincialia pro suis Provincijs, & Nationalia pro tota Natione possunt Leges condere. Suar. de Legib. lib. 4. cap. 6. n. 8. & seqq. Capitulum Cathedralis Ec-

clesiae Sedevacante, etiam potest condere Legem, cum in jurisdictionem Episcopi succedat, C. 11. C. 14. de Major. & obed. C. un. eod. in 6. Congregatio Cardinalium, etiam Sede Pontificia vacante, non potest Leges condere, quia ejus potestas limitata ad statuendum solum ea, quae pro electione S. Pontificis, pro defensione Ecclesiae, & averfione occurrentium periculorum fuerint necessaria, C. 3. de Elect. in 6. Cl. 2. eod. Suar. de Legib. lib. 4. cap. 6. n. 5. Cum ergo omnium horum potestas descendat a R. Ecclesia: *Qua vices suas ita alijs impertivit Ecclesijs, ut in partem sint vocatae sollicitudinis, non in plenitudinem potestatis*, C. 10. 2. q. 6. nequeunt ferre Leges juri communi contrarias; quia *Lex superioris per inferiorem tolli non potest*, Cl. 2. de Election. Qui velit omnia ad Conciliorum celebrationem pertinentia, perfecta scire, videat Librum de Synodo Dioecelana à S. D. N. Benedicto XIV. scriptum, ubi plena manu, summa eruditione, comprehensio-neque mirabili, agit de utilitate, necessitate, & auctoritate Synodorum, & de gerendis, & tractandis in ipsis. Hac occasione plures quaestiones satis pulchras tangit, de quibus in proprijs locis differemus.

45 Omnes, & soli Principes, & Respublicae nullum in temporalibus recognoscunt Superiorem, ut Rex Hispaniae, possunt condere Leges Civiles universales, etiam Regnum in foemina, jure hereditario recidisset, & etiam si conjugata, L. fin. C. de Legib. l. 12. tit. 1. p. 1. ibi: *Emperador, à Rey puede hacer Leyes sobre las Gentes de su Señorio, e otro ninguno non ha de poder de las facer en lo temporal, fueras ende, si lo fiesessen con otorgamiento dellas*. Ibid. Greg. Lopez. D. Thom. 1. 2. q. 90. art. 3. ibi: *Lex proprie primò, & principaliter respicit ordinem ad bonum commune: ordinare aliquid in bonum commune, est totius multitudinis, vel alicujus generis vices totius multitudinis, & ideo condere Legem pertinet ad totam multitudinem, vel pertinet ad personam publicam, qua totius multitudinis curam habet*. Aristot. Ethicor. lib. 10. cap. 9. ait: *Patrium quidem Imperium non cogit, nec vim, aut necessitatem affert, neque cuiusquam hominis unius omnino, nisi qui Rex sit, aut simili aliqua potestate praeditus. At vero Lex vim habet ad cogendum idoneam*. Suar. de Legib. lib. 1. cap. 8. plures citans. Sed nullus Princeps Saecularis potest condere Leges concernentes Ecclesiam, rem Sacram, vel spiritualem, aut personas Ecclesiasticas, praesertim, si ipsis tales Leges essent onerosae, C. 7. C. 10. b. t. Auth. Casa, C. de

C. de Sarròf. Eccles. L. 37. tit. 6. p. 1. quia Ecclesiasticae personae, & bona Ecclesiae exempta sunt ab omni jurisdictione Laicali, C. 1. C. 5. C. 11. D. 96. C. 1. & per tot. 11. q. 1. Trid. sess. 25. de Ref. cap. 20.

46 Clerici, & Religiosi tenentur Legibus Civilibus, quae nec eorum statui, nec Sacris Canonibus adversantur; & sine indementia, vel gravamine possunt observari; vi quidem directiva, minimè vero coactiva: arg. C. 11. D. 10. Suar. de Legib. lib. 3. cap. 34. Mol. de Just. & jur. tr. 2. D. 31. Covar. & alij, quia cum sint utiles Republicae à Sacris Canonibus approbatae censentur, C. 1. de Nov. oper. nuntiat. Hinc tenentur Legibus pretiarum taxantibus; & illis quae tempore sterilitatis prohibent extra territorium frumentum, vel vinum extrahere. Etiam statutis venationem, & piscationem certis temporibus prohibentibus alijque similibus obligantur. Etiam tenentur contribuere ad constructionem, & refectionem pontium, & viarum, ad murorum custodiam tempore magnae necessitatis, & tempore belli urgentis, L. 25. l. 54. tit. 6. p. 1. & ibid. Gregor. L. op. Genz. in C. 7. b. t. ex num. 12. contra Navar. & alios, quod alibi clarius explicabimus.

47 Hinc ad Religiosos, & exemptos descendendo dicendum est, eos non teneri Legibus Episcopalibus: quia non sunt Episcoporum Subditi. In aliquibus tamen casibus illorum subsunt jurisdictioni, Trid. sess. 25. de Regul. cap. 12. indirectè tamen tenentur Religiosi exempti se conformare Clero, casu quo id exigat ratio scandalum vitandi, vel bonum publicum, vel quando suo juri cesserunt, Leges acceptando usu, & consuetudine, Suar. de Legib. lib. 4. cap. 20. ex num. 8.

48 Non solum Lex Naturalis, & Divina, sed etiam Lex positiva tam Ecclesiastica, quam Civilis, dum non sit merè poenalis obligat in conscientia, sive ad culpam, quod est obligare vi directiva, sicut obligare ad poenam dicitur vi coactiva obligare, D. Thom. 1. 2. q. 96. art. 4. ibi: *Leges positive humanitas siquidem justae sint, habent vim obligandi in foro conscientia à Legge aeterna, a qua derivantur secundum illud. Prov. 8. per me Reges regnant, & Legum conditores justae decernunt*. Etiam probatur ex illo Div. Petri Epist. 1. cap. 2. v. 13. *Subditi igitur estote omni humanae creaturae propter Deum, sive Regi, quasi praecellenti, sive Ducibus, tanquam ab eo missis ad vindictam malefactorum, laudem vero honorum, quia sic est voluntas Dei*. Div. Paul. ad Rom. 13. *Omnia anima* Rom. 1.

potestatibus sublimioribus subdita sit, itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Sicque transgressio Legis humanae saltem mediata est transgressio Legis Divinae, & naturalis; ac proinde stat definitio peccati ex Divo Augustino. *Disruptum, factum, vel concupitum contra Legem Dei aeternam*.

49 Potestas enim obligandi in conscientia est omnino necessaria ad rectè gubernandam Republicam: secus enim plurimi parvipendentes Leges humanas, passim eas transgredierentur, quod esset maxima inordinatio, quietis, & tranquillitatis publicae perturbatio; & hipocrysi, & simulationi aperiretur via. Intelligitur, Legislatorem velle obligare in conscientia, si utatur verbis praecipuis, vel si Lex sit circa rem jam Divino, vel naturali jure prohibitam, vel praecipam, vel si gravem poenam, v. g. mutilationis, vel excommunicationis in transgressores statuat. Quod praecipue ex circumstantijs colligitur, & ex recta consuetudine, quae est optima Legum interpretis.

50 Leges tributorum, & vectigalium (si justa haec sunt) obligant in conscientia pro quantitate materiae, ex Matth. 22. v. 17. ubi interrogatus Christus D. licet consensum dare Caesari? respondit: *Reddite quae sunt Caesari, Caesari*. Quo in loco de tributo. D. Hieronym. id intelligit. Paul. ad Rom. 13. v. 6. ibi: *Ideo & tributa praestatis: Ministris enim Dei sunt in hoc ipsum servientes: reddite ergo omnibus debita, cui tributum, tributum, cui vectigal, vectigal*, quia talia tributa debentur Principi, tanquam alimenta jure naturae, & solum determinatione taxationis provenit à Legge positiva. Et qui illa solvere omitunt, non solum peccant contra obedientiam Principi debitam, sed etiam contra justitiam, ac proinde ad restitutionem tenentur in foro conscientiae. Non tamen tenentur poena statuta in ea non solventes, aut merces non manifestantes, vel aliquam aliam diligentiam omitentes, antequam condemnentur. Si de injustitia tributorum certo constat, potest Vassallus ea non solvere; imò ea negare, si petantur, si hoc sine scandalo possit fieri. Nam justè negantur, quae injustè exiguntur, Suar. de Legib. lib. 5. cap. 18. Mol. de Just. & jur. tr. 2. D. 674. quod si de justitia tributorum dubitetur, securius est ea reddere, cum in dubio praesumptio pro Principe sit, & ipsi teneatur subditus obedire. Oppositum maxima scandala afferre possit, cum magna Republicae perturbatio

ne, subditosque induceret ad debitam Principibus, obedientiam negandam. Si tamen subditi jam negarunt tributa, cum in dubio melior sit conditio possidentis poterunt ad restitutionem exquiri: imò non semper peccati gravis esse arguendus tales subditos tenet *Molin. de Just. & Jur. Tract. 2. D. 674.*

51 Si Lex sit merè poenalis, ita ut solum faciat mentionem poenae, quam in transgressores infigit, absque eo, quod aliquid praecipiat, vel prohibeat, solum ad poenam temporalem obligat, quia obligatio Legis commensuratur Legislatoris intentioni. Illa tamen non erit propria poena, cum hac supponat culpam. *Leg. 131. ff. de Verb. signif.* Sed tantum erit poena late accepta pro incommodo, vel damno iuste subeundo, quae quidem non supponit necessariò culpam. *C. 23. de Reg. jur. in 6.* & sic regulae aliquarum religionum, quae sunt quasi Leges ipsarum, ad poenam tantum, non ad culpam obligant. *Suar. de Legib. lib. 5. cap. 4.* Si poena, quam Lex imponit sit spiritalis, ut excommunicatio, suspensio, &c. Lex obligat ad ipsum actum, vel omissionem: quia tales poenae, utpotè animam immediate ligantes, praesupponunt culpam. Lex poenalis mixta disjunctivè, hoc est, quae prohibet actum, aut, si fiat, infligit poenam, solum ad hanc obligat. Nam in disjunctivis sufficit, unum extremum adimpleri. *Cap. 4. de Rescript.* Lex poenalis mixta conjunctivè, hoc est, quae prohibet actum, & simul imponit poenam transgressoribus, obligat in conscientia ad actum ipsum, & simul ad poenam. Sic contra *Nav. in Man. cap. 23. an. 55.* & alios tenent *Soto, Toledo, & alij cum Suar. de Legib. lib. 5. cap. 3. n. 6.* ubi hanc sententiam, vocat communem *TT.* & Canonistarum. Et ratio est, quia cum Legislator humanus possit obligare in conscientia ad ipsum actum, quem praecipit, censetur actu obligare, quando utitur verbis praepitivis, vel prohibitorijs. Et adjicit poenam, non ut tollat obligationem, sed potius, ut urgeat, nisi aliud consistet de mente Legislatoris. Si tamen dubia sit, interpretanda erit ex consuetudine, & praxi.

52 Lex, quae in praesumptione fundatur, si praesumptio sit de aliquo facto, vel casu particulari, cessante praesumptione, quae per veritatem contrariam elidatur, cessat lex, quia cessat ejus adaequata causa. *Arg. cap. 60. de Appellat.* Sic sententia, quia Judex alium obligat solvere

centum, quae re vera non debet, non obligat in conscientia: sicut coactus potest uti compensatione occulta, si forte solvit. *Arg. c. 44. de Sent. excom.* Si verò Lex fundetur in praesumptione alicujus periculi universalis, & si illa praesumptio in aliquo casu particulari cesset: quia illud periculum non cessat in communi, & universaliter, non cessat Lex, adhuc in illo casu particulari. *Lug. de Just. & Jur. D. 22. sect. 9. n. 253.* Sic Leges irritantes religiosam professionem, factam ante legitimum aetatem, & matrimonia clandestina, non cessant, quamvis in aliquo particulari casu cesset fraus: quia semper periculum fraudis invenitur, in communi. *Lug. ubi Supr.*

53 Ignorantia invincibilis, seu inculpabilis Legis humanae non solum excusat ignorantem à culpa; cum ignorantia tollat voluntarium. *Arg. l. 15. ff. de Jurisdict. ibi: Quid enim tam contrarium consensui est, quam error?* Et sine voluntario non fiet peccatum: sed etiam excusat ignorantem à poena, saltem in foro interno conscientiae, quia sine culpa nemo est puniendus. *C. 23. de Reg. jur. in 6.* Ignorantia verò vincibilis nec à culpa, nec à poena excusat. *C. 2. b. t. in 6.* si Lex irriter aliquid actum, ignorantia, etiam invincibilis non excusat: & patet in matrimonio clandestino; quia ignorantia non supplet defectum alicujus substantialis requisiti. Si verò Lex irritationem principaliter pro poena statuatur, non est improbabile, non incurri irritationem ab ignorante, vel, g. impedimentum criminis, quod quis suo delicto annexum esse ignoravit.

54 Si in Lege infligitur poena adversus temerè, contumaciter, scienter, vel qui praesumpserit aliquid facere: etiam si quis labore ignorantia crassa, & supina non incurrit poenam: quia in odiosis verba sunt stricte interpretanda. *C. 15. de Reg. jur. in 6.* & in tali proprie non datur scientia, praesumptio, temeritas, nec contumacia. *Castropal. tr. 2. D. 1. p. 18. n. 1.* quod aliqui extendunt ad ignorantiam affectatam, seu equivalenter voluntariam, quae aliquis studiose non inquirat veritatem: cum talis ignorantia non sit proprie scientia, nec contumacem constituat. *Diam. Burg.* quod negat *Sanch. & Castrop. apud Lacroix lib. 1. n. 769.* qui dicunt, tunc tantum poenam incurri, quando ignorantia affectata est talis, ut aequiparetur scientiae. Qui scit Legem, ignorat tamen invincibiliter poenam ab ipsa Lege adjectam, etiam si actus sit prohibitus Jure Naturali,

aut

aut Divino, si poena sit medicinalis, ut censura, non incurritur à sic ignorante: quia ad censuram incurendam requiritur contumacia. *C. 26. de Appellat.* Et qui ignorat, non est contumax. *L. 50. ff. locat. Suar. de Censur. D. 4. sect. 9. n. 19.* Incurritur tamen poena vindicativa lata propter delictum Jure Naturali, vel Divino prohibendum: v. gr. homicidium, adulterium, &c. ab ignorante, licet non sit obligatus exequi poenam ante Judicis sententiam. Si Lex est verè poenalis, & poenam principaliter infligit ad abiterendos homines ab injusti delictis probabiliter non incurritur poena; quae ignoratur esse annexa delicto contra Legem humanam commissio. *Sanch. l. 3. de Matrim. D. 17. n. 9. & fin.* nec poena civilis extraordinaria ignorata. *Suar. Castropal. Sanch. cum Laer. l. 1. n. 768.*

In foro verò externo, licet ignorantia facti non nocet, tamen ignorantia juris cuilibet nocet. *L. 9. ff. de Jur. & fact. ignor. C. 13. de Reg. jur. in 6.* Et poena infligitur transgressoribus, quamvis allegent ignorantiae Leges, vel poenam ab ipsis statutam, quia non praesumitur, eos Legem ignorare: alias facile omnes Leges eluderentur cum gravi Reipublicae damno. Ignorantia juris toleratur in Minoribus 25. annis, in milicibus, rusticis, & mulieribus, eosque excusat ignorantia juris à culpa juridica, etiam in foro externo. *L. 9. ff. de Jur. & fact. ignor.*

55 Lex naturalis, etiam cum periculo vitae obligat, quia, quae Lege naturali prohibentur sunt intrinsecè mala, & sic nullo casu sua licita: quia licet metus attenuet culpam, tamen non eam profusè excludit. *C. 5. de His, quae vi.* Metus enim non excludit voluntarium, sicut nec peccatum. *L. 21. §. 5. ff. quod met. caus. ibi: Coactus voluit.* Et ut ibidem ait *Glof. Voluntari coacta, voluntas est.* Sed Lex Divina positiva, Ecclesiastica, & Civilis non obligant cum gravi incommodo vitae, famae, & honoris. *C. 2. de Observ. jejun. arg. c. 31. de Sent. excom.* Nisi illarum observatio pertineat ad bonum commune Religionis, vel Reipublicae, sic nemo tenetur cum gravi incommodo jejunare, audire sacrum, vel communicare tempore praeepto, &c. tenetur verò, etiam cum periculo vitae servare sigillum in confessione Sacramentali, consecrare sub utraque specie; tempore pestis potest obligari ad assidendum infirmis, ad custodiendam Civitatem tempore belli, &

Tom. I.

alia hujusmodi: quia bonum commune praefereendum est bono privato.

56 Cum Lex sit commune praeeptum obligat omnes, & solos subditos Legislatoris: & cum sit directiva rationis, teste Cicero, solum subditos ratione utentes potest constringere. Hinc infideles, v. gr. Mauri, Judaei, vel Pagani, etiam cathedumeni sint, Legibus Ecclesiae non ligantur. *C. 8. de Divort. Trid. sess. 14. de Sacr. Poenit. cap. 2. ibi: Cum Ecclesia in neminem judicium exerceat, qui non prius in ipsam per baptismi januam sit ingressus.* Haeretici verò, & Apolitae tenentur praedictis Legibus. *C. 43. de Const. D. 4. Gonz. in c. 8. de Haeret. n. 12.* Pueri statim, ac adepti sunt usum rationis, qui communiter completo septennio habetur, Legibus, etiam humanis in materia eorum aetati convenienti, quoad culpam tenentur. *C. 12. de Poenit. & remiss. non tamen illis, quae certum numerum annorum ad obligandum requirunt, ut Lex jejunii.* Poenas autem à Legibus humanis statutas non incurrant ante pubertatem. *C. 1. & 2. de Delict. pur.* Imò de Jure Civili solet mitigari, poena, quando sunt Minores. *L. 37. ff. de Minor. Jure Nostro Hispano, si delinquentes sit minor decem annis cum dimidio, nulla afficitur poena: si minor 17. annis sit, mitius puniatur, quam meretur delictum. In 8. tit. 31. p. 7. & ibid. Greg. Lop. alias Leges citans.*

57 Impuberes usum rationis habentes incurunt excommunicationem latam in ingredientes Monasteria Monialium, quia *Trid. sess. 25. de Regul. cap. 5.* expresse dicit: *Cujuscumque aetatis sint.* Item excommunicationem Canonis propter Clerici percussorem. *C. 58. de Sent. excom.* & irregularitatem ex homicidio ortam *arg. à cont. Clem. an. de Homicid.* non verò incurritur censura ab homine ferendas, quia ad hoc debent moneri, & citari: & in tali aetate non admittuntur in judicio, nec tenentur per Procuratorem comparere. *Laer. lib. 7. num. 41.* An incurrant alias censuras à jure, vel homine latas, dubium est: Negat *Castrop. Tract. 3. D. 1. p. 24. §. 2. num. 8.* Affirmat *Suar. de Conf. D. 5. sect. 1. num. 19.* Et est probabilis, quia illa aetas est de se capax censurae, & nullo jure probatur exempta. *Laer. lib. 7. num. 42.*

58 Ebrij, mente capti, & ignorantes invincibiliter Legem, Legibus obligantur, cum suprae naturae illas possint intelligere, tempore tamen amentiae, ebrietatis, & ignorantiae ab illarum transgressio-

C 2

ne

ne per accidens excusantur: quia libertate carent. Hinc non est licitum, eos inducere, vel cum eis cooperari ad actionem prohibitam, ac proinde non potest quis in die jejunii carnem apponere ebrio, deficienti, vel ignoranti, esse diem jejunii, secus, dicendum est de illis, qui Lege non comprehenduntur, et quae licet in die jejunii carnes apponere non baptizato, perpetuo amenti, vel minori septennio: nunquam tamen licet eos ad opus jure naturae prohibitum, v. g. ad blasphemiam, vel turpitudinem, etiam pueros, vel etiam infideles incitare: quia omnes Jure Naturali tenentur: licet pueri per accidens a peccato excusentur. *Casrop. Tr. 3. D. 1. p. 24. §. 2. n. 10.*

59 Si Communitas, v. g. Senatus, Capitulum, vel Collegium condant aliquam Legem, quilibet, tanquam privatus, & membrum Communitatis Legem servare tenetur, quia ceterus est subditus, & non Legislator. *C. 6. b. t. Si vero Legislator sit Princeps Supremus, non tenetur Legibus, quoad vim coactivam, bene vero quoad vim directivam, in conscientia obligantem, & apud Deum, quando Legis materia, tam ipsi, quam subditis est communis. D. Thom. 1. 2. q. 96. artic. 5. ad 3. ibi: Dicendum, quod Princeps dicitur solutus a Lege, quantum ad vim coactivam Legis: nullus enim proprie cogitur a se ipso: sed quantum ad vim directivam Legis Princeps subditur Legi propria voluntate: unde quantum ad Dei iudicium, Princeps non est solutus a Lege, quantum ad vim directivam ejus, sed debet voluntarius, non coactus Legem adimplere. 1. pars prob. Ex l. 31. ff. de Legib. ibi: Princeps Legibus solutus est: nemo enim potest in seipsum jurisdictionem exercere, cum nemo sui ipsius superior sit, nec subditus: ac proinde nec sibi imperare, nec prohibere potest, L. 51. ff. de Recept. quod de vi coactiva, coercitiva, seu inflictiva poenae intelligendum est, sicut in L. 15. tit. 1. p. 1. 2. pars prob. Ex l. 23. ff. de Legat. 3. ibi: Decet enim tanta Majestati eas servare Leges, quibus ipse solutus esse videtur. L. 4. C. de Legib. ibi: Digna vox est Majestate regnantis, Legibus alligatum se Principem profiteri. C. 2. D. 9. L. 15. tit. 1. p. 1. ibi: Otrosí decimos, que eslabien al facedor de las Leyes en querer vovir, segun las Leyes, como quier, que por premia non sea tenuto de lo facer. L. 16. tit. 1. p. 1. & ibid. Greg. Lopez. Aequitati enim naturali maxime convenit, quod quis patiar Legem, quam ipse tulit, & quod utatur eo jure, quod in alterum*

statuit, *C. 6. b. t. præcipue*, cum Principis exemplum maxime conferat ad observationem, vel neglectum Legum, & tanquam caput deceat, suis membris conformari: *Turpis enim est omnis pars suo toti non conveniens, C. 2. D. 8. Et a Christo D. reprehenduntur, qui alij onera gravia imponunt, & ipsi nec digito volunt ea movere.*

60 Hæc obligatio immediate provenit à Lege obligante totam communitatem, cujus Princeps est pars: in radice tamen à jure naturali nascitur. Quando irritatio actus est poena non obligat Principem, quia tunc pertinet ad vim coactivam: obligat vero, si ad directivam pertineat: v. gr. quando aliqua solemnitas præscribitur pro forma actus, quando vero Principes scienter facit aliquem actum, v. gr. testamentum sine solemnitate Legali, valet: quia creditur in ea dispensare: si vero aliquis instituit Principem hæredem in Testamento, quod solemnitate legitima caret, est irrita institutio, *L. ex imperfecto, 3. C. de Testam. Hinc quando dicitur in C. 20. 12. q. 2. Quod non liceat Papa prædium Ecclesie alienare sine solemnitate Canonica: nomine Papæ, non Summus Pontifex, sed Episcopus intelligitur, ut sapè alibi: vel loquitur Text. de alienatione facta sine justa causa, & quæ de jure naturali est necessaria. Hucusque dicta comm. tenent DD. cum Gloss. in L. 31. ff. de Legib. Abulens. Sor. Suar. de Legib. lib. 3. cap. 35. Casropal. tr. 3. D. 1. p. 24. §. 1. licet aliqui nec quoad vim directivam hanc obligationem in Principe concedant.*

61 Peregrini, vel forenses, qui alicubi domicilium habent, non tenentur Legibus suæ Patriæ, si in loco, ubi commorantur, non vigeant tales Leges, quia cum sint extra territorium suæ Patriæ non subduntur illis Legibus, *C. 2. b. t. in 6. Quia extra territorium jus dicenti non paratur impunè. Suar. de Leg. lib. 3. cap. 32. cum com. DD. Etiam si se transferat ad talem locum præcise animo se eximendi à tali obligatione. Sic contra Sayr. & Salas tenet com. cum Suar. Casropal. tr. 3. D. 1. p. 24. §. 5. n. 4. quia utitur jure suo egrediens à tali loco, cum præceptum non obliget, ibi persisteret, sicque nec injuriam, nec fraudem agit, L. 55. ff. de Reg. jur. Sed specialiter prohibetur, quod quis egrediatur è loco, ubi receptum est Trid. ad locum ubi non est promulgatum animo præcise contrahendi matrimonium clandestinè; *ex Corb. Urban. VIII. apud Lugo. Pere-**

62 Peregrini, & forenses tenentur Legibus particularibus illius loci, quo morantur, vel transeunt, etiam si accedant sine animo figendi ibidem domicilium, vel quasi domicilium; non solum, quando Lex particulariter pro ipsis solis ad proficiendum pro bono Regni est constituta: v. gr. ne extrahantur merces, frumentum, vel pecunia: sed etiam quando Lex est generalis pro tali territorio, & quidem obligatur vi directiva, & coactiva, tenenturque suos contractus testamenta, vel judicia juxta tales Leges ordinare; alias quidquid contra ipsas factum sit, nullum & irritum erit. Nam eo ipso, quod ad talem locum accedunt, debent subijci potestati, & Legibus illius territorij: sic exigente recta gubernatione, ut paci, & tranquillitati Republicæ consulatur, & scandalo obvietur. Sic in C. fin. de Foro compet. subijcit quis Judici illius loci, ubi contraxit, vel deliquit, *L. 3. ff. de Offic. Præsidi. ibi: Curet is, qui Provinciae præest, malis hominibus Provinciam purgare: nec distinguatur unde sint. Facit D. August. in C. 11. D. 12. ibi: Consului de hac re beatissime memorie virum Ambrosium; at ille ait: Cum Romam venio, jejuno Sabbato, cum Mediolani sum, non jejuno. Sic etiam tu ad quam forte Ecclesiam veneris ejus morem serva. C. fin. de Ferijs, C. 2. de Observ. jejun. qui Textus generaliter dicunt, Leges Regionis esse servandas. Sic clarè Suar. de Legib. lib. 3. cap. 33. Casropal. tr. 3. D. 1. p. 24. §. 3. ex n. 11. cum alijs; probabile tamen est, illis Legibus non obligari, ut nervosè defendit Sanchez. in Decal. l. 1. cap. 12. n. 38. Et de Matr. lib. 3. D. 18. n. 6. alios citans. Tenentur etiam Legibus communibus, quarum usus viget in tali loco, licet non serventur in Patria, vel domicilio ipsorum, *C. 6. D. 4. quia illa consuetudo, vel privilegium, quod ipsos excusabat in sua Patria, est locale, non personale, sicque locum non egreditur, nec personam comitatur. Idem ac de peregrinis, imò fortiori jure dicendum est de vagis, qui nullibi habent domicilium, vel quasi domicilium: in quo nobilitatem convenit Sanchez. de Matr. l. 3. D. 18. n. 15.**

63 Lex aliquem actum irritans, quæ non sit poenalis, reddit nullum ipso jure actum contra ipsam factum, etiam parte nihil opponente. Et quidem à die data etiam ante illius publicationem: & tam in foro externo, quam interno: quod prob. *ex C. 1. & 8. de his, qua sunt à Prælat. ubi irrita dicitur alienatio facta ab Episcopo,*

sine solemnitate præscripta. Et ligat ignorantem, ita ut nec ignorantia iusta, & probabilis excuset ab actus irritatione, vel nullitate, *C. 13. e. 14. c. 20. de Prabend. in 6. Nam licet ignorantia Legis, vel irritationis possit impedire culpam, & poenam, non potest supplere formam præscriptam à Legislatore, sine qua non vult actum valere. Nam Decretum irritans formam inducit, quæ non servata, actus ipso jure corrumpit. Et ideo alienatio facta ab Episcopo sine debita solemnitate est nulla ipso jure, *C. 1. & 8. de his, qua sunt à Prælat. sic est invalidum matrimonium contractum cum impedimento dirimente consanguinitatis, etiam si ego ignoretur, Trid. Jess. 24. de Ref. matr. cap. 1. ita tenent Barb. de Clausul. claus. Mol. tr. 2. D. 468. n. 15. contr. Roarig. & alios. Et ideo in Legibus irritantibus non admittitur Epikieia. Hinc matrimonium clandestinum irritum erit, & si Parochi præsentia, & testium nequeat haberi ob pestem grassantem, vel alia de causa: quia in Lege irritante potius ad uniformitatem actuum, & communem rationem, quam ad casus particulares attenditur. Si vero actus in favorem alicujus persone irritetur, quando eedit in ejus utilitatem, non censetur irritus, ut patet in contractu pupilli sine Tutore celebrato, qui quidem valet in ejus utilitatem, quamvis in ejus damnum non valeat ob rationem, *Text. in C. 6. de Reg. jur. in 6. ibi: Quod ob gratiam alicujus conceditur, non est in ejus dispendium retorquendum. Potest etiam irritatio impediri, si ille, cujus interest, actum irritari, non vult litem movere, nec intentare irritationem, cum ipse possit suo juri cedere, ac proinde talis actus non erit irritus, Suar. de Legib. lib. 5. cap. 21.***

64 Quando Lex simpliciter prohibet aliquem actum, non adjecta clausula irritante, si talis actus fiat, erit illicitus, non vero irritus, *Suar. de Leg. lib. 5. cap. 25. n. 22. contra Bald. & Barbof. claus. 41. n. 46. quod prob. ex C. un. de Vot. in 6. c. 1. de Eo qui cognov. c. 16. de Regular. & trans. ibi: Multa enim fieri prohibentur, que si facta fuerint, obtinent roboris firmitatem. Hinc est, quod cum diversæ res sint; prohibere actum, & illam irritare, & aliunde Lex irritans odiosa sit, non debet extendi Lex prohibitiva ad irritandum; imò in dubio potius pro valore actus, quam contra illum debet sumi interpretatio, *L. 12. ff. de Reb. dub.**

65 Non possunt omnes articuli scissillatim aut Legibus, aut Senatusconsultis com-

prehendi, sed cum in aliqua causa sententia eorum manifesta est, is, qui jurisdictioni preest, ad similia procedere, atque ita jus dicere debet, L. 12. ff. de Legib. Hinc necessarium est aliquando interpretatione, id est, declaratione, uti. Interpretatio quadrupliciter potest considerari; ex Gl. in l. 37. ff. de Legib. Nam 1. cum facit ipse Legislator, vel ejus Successor, aut Superior, & nuncupatur *authentica*, & habet vim Legis. Sic Text. in c. 32. de Simon. interpretatur Text. anteriorem in c. 31. Lex 12. declarat. l. 11. tit. 1. lib. 4. R. C. potest tamen esse tantum doctrinalis interpretatio a Legislatore facta, ut fecit Innoc. IV. antea Simbaldus dicitur: de quo ait Fichard. Hoc memorabile est, quod quamquam Pontifex jam Commentarios in Decretales eaderit, tamen non majorem auctoritatem aliorum scriptis habere ipse quoque voluerit. 2. Coniunctio interpretatur Legem, & ideo dicitur optima Legum interpres, c. 8. de Consuet. & dicitur interpretatio *usualis*, habetque vim Legis. Sic in l. 25. tit. 3. lib. 1. R. C. consuetudine supponitur firmatum privilegium. 3. Judices judicando interpretantur Leges, quando aliquid dubium incidit in eorum intelligentia; hæc interpretatio dicitur *Judicialis*, & facit jus saltem inter litigantes, l. 207. ff. de Reg. jur. 4. Doctores, & Magistri in consulendo, vel dictando, interpretantur Legem, vel extendunt ad casum non expretum, & hæc interpretatio dicitur *doctrinalis*, & nullam vim Legis habet. Antiquitas deficiente Lege in Hispania erat necesse sequi sententias Bartholi, Baldi, Joannis Andreae, & Abbatis, sed jam ab hoc onere exempti sunt Judices, l. 1. Taur. Similes interpretationes posse, & debere fieri a Judicibus, & DD. constat ex l. 13. ff. de Legib. Imò, & Legislator potest alijs potestatem interpretandi authentice communicare, §. 8. *Inst. de Jur. Natur.* Sic Pontifex à Deo habet potestatem interpretandi Jus Divinum.

66 Sed cum anima Legum sit Legislatoris intentio, magis ejus voluntatem, quam verba debemus expectare: quia non debet intentio verbis deservire, sed verba intentioni, C. 11. 22. q. 5. sed non est recedendum à proprietate verborum, juxta communem usum, nisi sequatur absurdum, vel Lex foret inutilis, vel praxis aliud fundat, C. 2. de Translat. Episc. l. 69. ff. de Legat. 3. Si Lex generaliter loquitur, generaliter intelligenda est, & ubi ipsa non distinguit, nec nos distin-

guere debemus, L. 3. ff. de Offic. Presid. Barbof. in axiom. v. Lex. In odiosis est restringenda, in favorabilibus amplianda, C. 15. de Reg. jur. in 6. in panis benignior est interpretatio facienda, c. 49. de Reg. jur. in 6. Sed quamvis sit odiosa, & poenalis non debet evadere inutilis, vel otiosa; arg. l. 20. §. 6. ff. de Hered. petit. Lex, quæ potest cum alia concordari, concordari debet, ut correctio jurtum viretur, interpretando Legem novam, juxta sententiam antiquæ; L. 26. l. 28. ff. de Leg. Si verò sit planæ, & plenè contraria, posterior prævalet contra priorem, etiam si non faciat ejus mentionem, nisi forte, prior sit particularis, & posterior generalis, C. 1. b. t. in 6. Ante omnia debet legi totus contextus Legis, l. 24. ff. de Legib. ut sic ejus ratione præ oculis habita, possit Judex de casu simili exprello ad non expretum, si similis sit, Legis decissionem applicate. Nam ubi est eadem ratio, dari debet eadem juris dispositio ex L. 32. ff. ad Leg. Aquil. quod præcipue servatur. 1. in correlativis, L. fin. C. de in iudicia viduit, ubi Lex Julia Mucella correctæ in viro censetur ex eo, quod in muliere correctæ sit, C. 1. de Donat. int. vir.: ubi uxor donationem propter nuptias lucratur, si vir sit adulter, licet maritus lucratur dotem propter adulterium uxoris. Sic com. DD. 2. in connexis: ideo Codicillum facere permittitur, cui permittitur testamentum. 3. in eis, quæ in jure æquiparantur: hinc, quia Ecclesia in ordine ad restitutionem in integrum Minori æquiparatur, C. 1. de in integr. restit. restitutionis beneficio gaudet in casibus, in quibus eo gaudet Minor. Quando prohibetur interpretatio alicujus Legis, ut Concilij Trid. à Pio IV. solum prohibetur ea, quæ typis mandatur, & expressio sit, vel quæ est frivola, & contra mentem ipsius. Quando Legislator facile adiri potest, non habet locum interpretatio, sed ipse interrogari debet. L. 1. C. de Legib.

67 Proxima interpretationi est *Epikieia*, quæ Latine dicitur *Summa equitas, seu benignitas*, quæ etiam *justitia*, & quidem præstantior jure dicitur ab Arist. *Ethic. 5. cap. 10.* Differt ab interpretatione per hoc, quod per interpretationem verba obscura exponantur, Epikieia autem dicat, rectè agi contra clara verba Legis, eo quod Legislator credatur ex quadam æquitate, & benignitate, quod non fuisset comprehensus hunc casum, si prævidisset, quamvis sciatur, nunc comprehendit,

diff. L. 90. ff. de Reg. jur. ibi: *In omnibus quidem, maxime tamen in jure, æquitas expectanda est.* D. Angel. ait; *sicut lex insinuat quod deposita reddantur, quia hoc ut in plurimum justum est; contingit tamen aliquando esse nocivum, puta si furiosus depositum gladium, & cum reposcat, dum est in furia, vel si aliquis reposcat depositum ad Patriæ impugnationem: in his ergo, & similibus casibus malum est sequi Legem positivam, bonum autem est, præmissis verbis Legis, sequi id, quod poscit justitiæ ratio, & communis utilitas; & ad hoc ordinatur Epikieia, quæ apud nos dicitur æquitas.* Sic D. Thom. 2. 2. q. 120. art. 1.

68 Tres modi, vel rationes utendi Epikieia possunt distingui. Primus erit propter cavendum aliquid iniquum, ut in exemplo D. Thom. alius propter vitandam aliquam obligationem valde arduam, & acerbam, quamvis licitum esset, eam adimplere. Sic excusatur quis à jejuniis ob grave incommodum. Tertius est propter conjectatam Legislatoris voluntatem. Ut ait Arist. *Ethic. 5. cap. 10.* *Quod etiam Legislator, si adisset, admoneret, de eo, quod si seivisset, Legem tulisset.* Quando constat certo, Legem, etiam posset servari licite, non obligare, non est necesse ad Legislatorem recurrere: si dubium est, adcurandum est Legislatori, ut undè jus prodijit, etiam interpretatio procedat, C. 31. de Sent. excom. si non possit facile adiri, licet uti Epikieia, in judicio probabilis si dubium sit tale, quod non possit probabiliter judicari, an comprehendatur, vel non in Lege casus, de quo agitur, Lex erit observanda, si non potest ad Legislatorem recurri, nisi forte dubium nascatur ex concursu duarum Legum, sibi contrarium: Nam tunc potest sequi ea, quæ gravior videtur, etiam contra alterius verba. *Suar. de Leg. lib. 6. cap. 8.*

69 Lex cessat, cessante ratione, causa, seu sine adequato ipsius respectu communitatis, C. 26. de Jur. jur. quando, scilicet, Lex evadere injusta, turpis, impossibilis, vel nimis acerva, vel difficilis: & hoc est, quod ratio, vel materia Legis cesset *contrariè*; v. g. si Lex præciperet acutum indifferenter, v. g. contributionem pro constructione pontis, vel taxam panis, & nunc cessaret finis, taliter, ut contributio esset injusta, quia non dabatur causa eam exigendi, vel pretium panis jam injustum esset; tunc absolute cessat Lex per se, & sine recurru ad Legislatorem, cum jam non esset honesta, ut Lex debet esse, C. 2. D. 4. Si verò cessante sine extrin-

seco Legis, etiam adequato, qui scilicet, Legislatorem movit, & sine quo talem Legem non tulisset (quod est cessare *negativè*) adhuc tamen perseveret finis intrinsecus, ita ut Lex sit honesta, & justa, adhuc ipsa permarrbit, quia est capax obligationis. Sic Lex præcipiens jejunijs, etiam cesset finis extrinsecus macerandi carnem, quia hæc est subiecta spiritui, adhuc Lex obligat ex fine intrinsecò, qui est honestas jejunijs: potest etiam Lex habens plures articulos cessare, quoad unum & manere quoad alium, nec tunc utile per inutile vitatur, C. 37. de Reg. jur. in 6. ut Lex ergo cesset, debet ratio, vel finis cessare respectu totius communitatis, vel saltem majoris partis illius: quare, si ad vitandas rixas, feratur Lex, quod nullus arma noctu deferat: quamvis hoc periculum cesset in aliquo particulari, qui valde prudens, & pacificus sit; quia non cessat commune periculum, quod fuit causa Legis; hæc nec respectu illius particularis cessabit. Nam si finis in universali subsistat, etiam si in particulari actu cesset, manet ratio integra Legis communis, quæ non respicit ad linguam, sed ad id, quod frequentius accidit: alias pro quolibet particulari propria, & particularis Lex esset statuenda contra Text. in L. 4. ff. de Legib. ibi: *Ex his, quæ forte non aliquo casu accidere possunt, jura non constituntur.* Et L. 5. ff. eod. ibi: *Nam ad ea potius debet adaptari jus, quæ frequentius, & faciliè, quam quæ per raro eveniunt.* *Suar. de Leg. lib. 6. cap. 9.* ubi dilucide hæc tractat materiam.

70 Lex etiam cessat per derogationem, vel abrogationem. *Derogatur Legi, cum pars detrahatur, abrogatur Legi, cum prorsus tollitur.* L. 102. ff. de Verb. signif. *Nec debet reprehensibile judicari* (ait Pontif. in c. 8. de Consang.) *si secundum varietatem temporum, statuta quoque variantur humana, præsertim, cum urgens necessitas, vel evidens utilitas id exposcit: quoniam ipse Deus ex his, quæ in veteri Testamento statuerat, nonnulla mutavit in novo.* Legem ergo abrogare, vel revocare potest, non solum Legislatoris superioris, cum habeat majorem ipso potestatem, sed etiam ipse Legislator. Nam si potestatem habuit ad Legem condendam, etiam ad eam tollendam habere debet potestatem, cum res eo modo, quo fiunt dissolvantur, C. 1. de Reg. jur. L. 35. ff. eod. imò, & ejus successor; qui cum Legislatore eadem persona censetur, habet eandem potestatem ad abrogandum Legem: nec Antecessor potuit hanc potestatem limitare, cum par

in parem non habeat imperium. *L. 4. ff. de Recept. qui arbit.* Adesse tamen debet iuxta causam, & ad bonum commune pertinens: sine ea tamen, quamvis valerit abrogatio, utpotè à voluntate Legislatoris vim habens, esset illicita, nam Legislator tunc abuteretur potestate, sibi concessa. *L. 2. ff. de Confit. Princip. ibi: In rebus novis constitutendis evidens esse utilitas debet, ut recedatur ab eo jure, quod dicitur aequum visum est; L. fin. tit. fin. p. 7.* Nam plerumque novitates discordiam pariunt. *C. 9. de Constat. Siquidem, ut Div. Chrysost. ait: Nihil adeo animos perturbare, etiamsi utilitas sectura expectetur, quam innovare aliquid, & à consuetudine alienum facere.* Ideo debent Legislatores, & superiores se difficiles exhibere in mutatione Legum, & consuetudinum, quæ à majoribus acceptantur.

71. Inferior non potest superioris Legem abrogare, nisi ex privilegio, aut legitima consuetudine hanc habeat potestatem: *C. 16. de Major. & obed. ibi: Cum inferiori superiorem solvere nequeat, vel ligare.* *Suar. de Leg. lib. 6. cap. 26. num. 4.* Imo nec Legem propriam potest inferior revocare, si hæc sit à superiori confirmata, adjecta clausula irritante ea, quæ contra ipsam statuuntur, vel attententur, *C. 25. §. Præterea de Præbend.* quia tunc ablata censetur potestas inferiori ad aliquid in contrarium statuendum, *C. 1. & 2. de Confirmat. util. idem dicendum est, quando talis Lex concernit favorem publicum, aut aliorum, quam statuentium, quamquam non adiciatur similis clausula irritans, quia ex quo superior Legem confirmat, suam fecisse intelligitur. *C. 22. de Præbend. in 6. l. 1. §. 6. C. de Veter. jur. enucl.* Si verò Legis confirmatio principaliter concernit favorem statuentium, vel tantum ad majorem auctoritatem Legis sit à superiori confirmata, v. g. si Papa confirmet statutum Canonicorum, vel Rex statutum alicujus Civitatis: si non addatur clausula irritans, possunt statuente suam Legem abrogare: quia solum in favorem ipsorum (qui invitati non datur, *L. 69. ff. de Reg. jur.*) intelligitur confirmata. *C. 8. b. t. & ibid. Gonz. num. fin. Suar. de Leg. lib. 6. cap. 26. n. 15.* Cum ergo talis confirmatio, sit favor, & gratia, non verò coactio, respectu eorum, quibus conceditur, non obstante tali confirmatione, possunt illi tali favori renuntiare, & consequenter Legem abrogare. Nam semper censetur manere in suo primo statu Legis Municipalis, vel particu-*

laris statuti. Latè de hoc *Suar. de Legib. lib. 6. cap. 26. ex n. 16.* qui ibidem varias sententias refert. Si Lex posterior non possit cum antiquis concordari, quod semper debet procurari, ut jurium correctio vitetur, *C. 29. de Elect. in 6.* Lex posterior derogat priori contrariam in corpore juris inclusam, etiam si illius nullam mentionem faciat. Si verò Lex anterior est specialis, debet posteriori facere mentionem illius, quia licet Princeps in Scrinio pectoris jura censetur habere, potest tamen Legem specialem ignorare, cum hoc ad factum pertinere censetur. *C. 1. b. t. in 6.* Si Lex anterior sit confirmata cum juramento de ea non revocanda, vel si sit munita clausula derogatoria Legis ferendæ; ut juramentum, & hæc clausula aliquem effectum habeat, debet illorum fieri mentio in Lege posteriori. Quando abrogatio fit per Legem posteriorem contrariam, debet publicari ipsa abrogatio. Si fiat sine nova Legis impositione, sufficit, quod subdito, quomodocumque innotescat, ut cesset obligatio Legis: expedit tamen, quod publicetur abrogatio, ut sic scandala, & dissensiones vitentur. *Suar. de Legib. lib. 6. cap. 27.* Ex hac temporum computatione in Legum antiquitate prodijt illud, etiam lippis, & tenoribus notum proverbium: *Distingue tempora, & concordabis jura.*

72. Etiam dispensatio est modus, quo Lex cessat, quoad partem. *Dispensatio enim est relaxatio alienius juris, seu exemptio alienius ab obligatione Legis, hac manente pro reliqua communitate; arg. C. 28. de Præbend. regulariter non conceditur, nisi ad partis petitionem: & ea concessa, potest dispensatus ea uti, si vult, non tamen cogitur: Aliquando motu proprio conceditur dispensatio: quin, & potest quis obligari ea uti ob eum, vel alterius, & præcipue ob bonum commune. Quælibet Lex potest dispensari ab ejus Legislatore, vel à Successore, vel à Superiori hujus in jurisdictione. Inferior autem in Lege Superioris nequit dispensare, *C. 16. de Major. & obed.* Hinc Pontifex non potest dispensare in Jure Naturali, nec Divino, *C. 4. de Usur.* nec Archiepiscopus, vel Episcopus in Lege Pontificia, nec Archiepiscopus in Concilio Provinciali, quia est inferior Concilio, bene tamen possunt dispensare in Synodo Diocesana, quia solus Episcopus habet votum decisivum: Clerici verò tantum consilium; ac proinde non indigent eorum consensu, *Sanch. de Matr. l. 8. p. 17. ex n. 33.**

Pon-

73. Pontifex potest dispensare in Lege Ecclesiastica sive ab ipso, sive à Prædecessoribus, sive ab Apostolis, sive à Concilio Generali lata, *C. 4. de Consec. præb. ibi: Qui secundum plenitudinem potestatis de jure possumus supra jus dispensare.* An Episcopus, vel alij Prælati possint dispensare in lege Pontificia, expressè non reservata, est anceps questio. Affirmat Covar. in c. Alina, p. 1. §. 7. cum alijs negat *Suar. de Leg. lib. 6. cap. 14. n. 4. alios citans*, quia inferior nequit mutare, nec dispensare in Lege Superioris, nisi ex concessione saltem tacita, vel ex consuetudine legitima habeat talem potestatem, *C. 16. de Major. & obed. Cl. 2. de Elect.* Episcopus tamen potest absolvere à censuris non reservatis, *C. 29. de Sent. excom. ibi: Quando conditor Canonis absolutionem sibi specialiter non retinuit, eo ipso concessisse videtur facultatem alijs relaxandi.* Etiam potest dispensare in observatione jejuniorum, & scitorum, cum sint casus utifrequentes: item si materia fuit levis: in casu extraordinario, dum magna est necessitas, & periculum est in mora, nec facile potest adiri Superior: quia hæc omnia censetur ipsis concessa ad rectam administrationem, & hoc exigit suave regimen Ecclesiæ; *arg. L. 2. ff. de Jurisdic. vel si ad dispensandum detur privilegium, vel consuetudo legitime præscripta, vel cum dubitatur, an casus dispensatione indigeat: quia cum de Legis ad strictione non constat, standum est pro libertate, *L. 99. ff. de Verb. obligat.**

74. Quando in jure impersonaliter dicitur: *dispensetur*, potest Episcopus dispensare: quia cum illa verba non intelligantur de Pontifice, qui sine tali concessione potest in omni Jure Ecclesiastico per se dispensare, *C. 4. de Consec. præb. ne sint superflua, debent de Episcopis intelligi; arg. C. 30. de Privileg.* Et hæc doctrina debet intelligi de Legatis Apostolicis, cum habitantibus in sua Provincia: de Prælati Regularibus, saltem exemptis cum suis Religiosis, & aliquando de Parochiis, cum suis Parochianis.

75. Si Legislator in Lege propria dispenset sine causa, valet dispensatio, quia cum ex ejus voluntate dependeat Legis obligatio, potest propria voluntate talem obligationem tollere, de Legeque, ut de re propria disponere, *L. 21. C. Mandat. Sanch. de Matr. l. 8. D. 17. ex n. 23. plures citans*, erit tamen illicita dispensatio, *D. Thom. 1. 2. q. 97. art. 4. ibi: Si autem absque hac ratione pro sola voluntate licentiam*

Tom. I.

tribuat, non erit fidelis in dispensatione, aut erit imprudens, infidelis quidem, si non habet intentionem ad bonum commune: imprudens autem, si rationem dispensandi ignorat, propter quod Dominus dicit, *Luc. 18. Quis putas est fidelis dispensator, & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam.* *Suar. de Leg. lib. 6. cap. 18. Sanch. de Matr. l. 8. D. 18. n. 3. cum alijs contra alios*, qui dicunt, talem dispensationem licitam esse, nec aliqua causa ad dispensandum in sua Lege indigere Legislatorem præter suam voluntatem.

76. Quando verò inferior in Lege superioris dispensat, v. g. Pontifex in Jure Divino, vel Episcopus in Lege Pontificia, adeo est necessaria justa causa, ut si ea deficiat, dispensatio non solum illicita, sed & nulla erit. Quia tunc dispensans, limitates potestatis, quam habet, egreditur; ac proinde nulliter agit, *C. 22. de Rescript. l. 5. ff. Mandat.* si quidem illi solum dispensare conceditur ex justa, & rationali causa; & quidem à Judice cognita, *C. 6. c. 7. l. 9. 7. Trid. sess. 25. de Ref. cap. 18. ibi: Quod si ut gens, justaque ratio, & major quandoque utilitas postulaverit, cum aliquibus dispensandum esse, id causa cognita, ac summa maturitate, atque gratis, à quibuscumque ad quos dispensatio pertinebit, erit præstantium: aliterque facta dispensatio subreptitia censetur.* Imò si verè causa subsistat, si dispensetur sine causa cognitione, erit nulla, in foro externo dispensatio: nam à jure requiritur pro forma causæ cognitio: nec causa justa moveret ad dispensandum, si hæc à Legislatore non cognoscatur, sufficit tamen, si hæc cognitio sit extrajudicialis. Nam, cum per eam possit probari, causam adfuisse ad dispensandum, eliditur contraria præsumptio, *Suar. de Leg. lib. 9. cap. 19. n. 2.* in foro tamen interno valida erit prædicta dispensatio, *Sanch. lib. 8. de Matr. D. 17. n. 11.* quippe nullo jure irritatur, ac proinde valida censetur, donec revocetur à Judice: quamvis alij aliter sentiant.

77. Causæ justæ ad dispensandum sunt, necessitas, pietas, utilitas, gratitudo ob merita in Ecclesiam, vel Rempublicam, & misericordia ad succurrendum hominum fragilitati, quando ex inconsideratione aliquis vovit, vel si difficile est adimpleretur. Subditus petens sine justa causa dispensationem peccat, sicut diximus, Legislatorem in ea concedenda peccare. Quando justa causa est, & potest superior dispensare, non eo precise dispensare tenetur, nisi quando hoc est

D

ne-

necessarium ad commune bonum, vel ad vitandum-publicum scandalum, vel ad bonum spirituale postulantis, vel quid simile, *Suar. de Leg. lib. 6. cap. 18. ex n. 20.* Sed licet subditus in petitione talis dispensationis peccasset, probabile est, cum non alterius peccare in talis dispensationis usu, quia tunc non cooperatur peccato dispensantis, & aliunde in effectu illius dispensationis nulla est malitia. Sic *Suar. de Legib. l. 6. cap. 19. n. 14. cum alijs contra Sanchez. de Matr. lib. 8. D. 18. n. 11. cum alijs.*

78 Superior, cui competit, vel est concessa facultas dispensandi cum alijs, etiam secum ipso potest, non solum indirecte, scilicet dispensando cum communitate, in qua ipse continetur, tanquam pars principalis; vel alteri committendo suas vices, qui cum ipso dispenseret, v. g. Papa, Rex, vel quilibet alius Magistratus, & non solum in suis Legibus, sed etiam in Lege à superiori condita in casibus permissis; sed etiam directe dispensare valet, *D. Thom. 2. 2. q. 185. art. 8. in Corp. Suar. de Leg. lib. 6. cap. 12. n. 8.* quia Lex, vel superior dans alicui privilegium, seu jurisdictionem ad dispensandum cum alijs, præsumitur concedere facultatem ad dispensandum secum ipso, ne sit superior peioris conditionis, quam illius subditi, præcipue cum dispensatio sit actus jurisdictionis voluntariæ, non coactivæ, nec contentiosæ, ac proinde non requirit personarum distinctionem; sicut in concedente indulgentias accidit, nam ipse eas lucrari potest.

79 Nec obstat, quod dicitur in *C. fin. de Inst.* quod inter dantem, & accipientem debeat esse distinctio personalis: Nam illa ratio intelligenda est, non generaliter, sed circa subiectam materiam beneficiorum; quia qui potest conferre beneficium, non potest se ipsum instituire, ut sic claudatur janua ambitioni Prælatorum. Eadem ratio in *C. 26. de Jur. patr. prohibetur* Ecclesie patronus se ipsum præsentare ad beneficium. Nec Tutor potest in re sua fieri Author, *L. i. ff. de Auth. Tutor.* quia si ei permitteretur cum suo pupillo contrahere, hic fraudibus, & periculis exponeretur. Superior non potest se abolere à censuris, quia hæc absolutio est quedam sententia, quam non potest quis, etiam R. Pontifex in se ipsum proferre, cum sit jurisdictionis coactivæ sicut nec potest se abolere ab alijs pœnis, quas per sententiam contraxit.

80 Dispensatio potest fieri. 1. tacite,

si Pontifex, v. gr. in Quadragesima præcipiat alicui carnem comedere, creditur cum eo dispensare. 2. expresse, posito quocumque signo, quod voluntatem dispensantis sufficienter explicet; nec requiruntur determinatè verba, vel scriptura, *Suar. de Legib. lib. 6. cap. 13.* Dispensatio est strictæ interpretationis, cum à jure communi recedat. Delegatio verò potestatis dispensandi generaliter in aliqua Legge, est favorabilis, & hac ratione amplianda: quia est in favorem communitatis, nec est contra jus, sed juxta jus.

81 Nunc pro coronide hujus Tituli aliqualem Legis Divinæ notitiam addere oportet pro intelligentia, *Text. in C. 3. b. t.* A principio enim Mundi homines Lege naturali regebantur: nam licet Deus unum, vel alterum præceptum aliquibus in particulari imposuisset, ut Adamo de non comedendo cibo vetito, *Genes. 3.* & post diluvium præceptum imposuit de non comedenda carne cum sanguine, *Gen. 9.* & postea fuit datum Abraham præceptum Circumcisionis, *Gen. 17.* & alia hujusmodi; tamen nondum Deus Legem statuerat, usque ad tempora Moysis. *Lex ergo, vel Jus Divinum, est Lex à Deo Legislatore in tempore data hominibus ad finem supernaturalem.* Alia est *Lex Veteris*; quæ etiam dicitur, *Lex Scripta*, quia Deus suo digito in duabus tabulis eam scripsit, in quarum prima tria priora Decalogi præcepta, in secunda septem posteriora extabant. Etiam Lex vetus frequentè *Lex Mosaica*, ab ejus promulgatore appellatur. Alia est *Novæ*, quæ etiam appellatur *Lex Gratiæ*, *Lex Evangelica*, *Lex Libertatis*, *Lex Amoris*, *Lex Scripta in corde*, *Lex Christi*, *Lex Fidei*, *Lex Spiritus vitæ*. Deus enim, ut Legislatore Supremus per medium Angelorum Legem particularem dedit Populo Judaico; & quidem soli, juxta *Deut. 4.* & conversis, è Gentilibus, qui Profelyti dicebantur; quam Moyses promulgavit, atque adeo nullum præceptum humanum inveniebatur in Legge veteri. *Paul. ad Gal. 3. v. 19.* ibi: *Ordinata per Angelos in manu mediatoris. Dent. 1. v. 3.* ibi: *Locutus est Moyses ad Filios Israël omnia, quæ præceperat ei Dominus ut diceret eis, C. 8. de Consang.* Et de Moyses promulgatore intelligitur illud *Matth. 19. ad duritiam cordis vestri permisistis vobis (Moyses) dimittere uxores vestras. Joan. 1. v. 17. Lex per Moysen data est. Marc. 7. Moyses dixit: honoro patrem tuum.*

82 Finis ultimus principaliter à Deo per Legem veterem intentus fuit spiritualis,

lis, & supernaturalis felicitas illius Populi, & in hac vita per bonos mores, & veram sanctitatem, & etiam in futura per supernaturalem felicitatem, ut constat ex *Apost. ad Rom. 7. D. Thom. 1. 2. q. 99. art. 2.* licet ex malitia hominum, *Lex sub intravit, ut abundaret delictum. Rom. 5.* Lex autem vetus ex se non justificabat; nec gratiam conferebat, nec vires ad sanctitatem consequendam. *Rom. 3. v. 20.* Licet viam ostenderet; Deus tamen dabat supernaturalia auxilia gratiæ ex meritis Christi, & in Fide; & propter eam Fidem conferebantur. *Rom. 10. v. 4. Finis Legis Christus ad justitiam omni credenti. D. Tb. 1. 2. q. 100. art. 12. Præcepta Legis justificabant in quantum disponebat homines ad gratiam Christi justificantem, quam etiam significabant. Et q. 104. art. 3. ait: Lex enim fuit Pedagoga ducens ad Christum, ut dicitur Gal. 3. Latè *Suar. de Legib. lib. 9. c. 7. num. 6.**

83 Triplicis generis præcepta continebat. *Deut. 6. ibi: Hæc sunt præcepta, & ceremonie, atque judicia scilicet 1. Moralitatis*, quibus Populus in moribus honestè instituebatur. Hæc enim erant præcipue præcepta naturalia; quæ in Decalogo continebantur, *Exod. 20. ex v. 3.* Nam licet talia præcepta essent juris naturalis, voluit Deus ea specialiter promulgari, ut clarius cognoscerentur: nam homines suis passionibus, & vitijs obsecati eorum vim non plene percallebant, 2. *Judicialia*, quibus status Politicus regebatur per 613. Legesatas pro toto Populo, & singulis membris, pro ordine domestico, pro hospitibus, & Peregrinis, pro Principe; & Populo, & alijs Judicijs civilibus, & criminalibus: quæ præcipue inveniuntur in *Exod. ex cap. 21. 3. Ceremonialia*, quæ ad Divinum cultum pertinebant: Talia erant sacramenta, ut circumcisio, & cibus agni, Sacrificia, ut holocaustum, Hostia pacifica, expiatio, seu sacrificium pro peccato: Et etiam res sacra ut templum, altare, vasa, & festivitates Sabbati, Paschæ, Azymorum, & Nomeniæ. Et etiam alia particulares observantia ut jejunia, cibi vetiti, &c. quæ præcipue in Levitico inveniuntur. Et quidem Lex vetus non solum comprehendebat actus externos, seu facta; *Paul. ad Rom. 3. v. 27.* sed etiam actus internos. *Matth. 19. v. 17. ibi: Non oderis fratrem tuum in corde tuo.*

84 Lex vetus cessavit, & abrogata fuit expleto tempore, pro quo fuit data. *Paul. ad Galat. ibi: Donec venerit semen.* Nam licet diceretur in perpetuum duraturus, *Tom. I.*

tura, hoc intelligitur per multa secula. *Translatio enim Sacerdotio necesse est, ut & Legis translatio fiat, ut ait Apost. ad Hebr. 7. Et C. 3. b. t.* Nam ut bene infert *D. Tb. 1. 2. q. 104. art. 50. Sacerdotium est translatum ab Aaron ad Christum: ergo etiam, & tota Lex translata.* Duravit tamen toto tempore, quo Christus vixit, ipse enim eam servavit *Matth. 5. & 26.* ad ejus observationem hortabatur. *Matth. 23. Luc. 5. v. 14.* dixit leproso: *Ostende te Sacerdoti, & offer pro evundatione tua sicut præcepit Moyses.* Cessavit ergo, & mortifera est facta Lex post Christum, maxime post Evangelicum divulgatum. *D. Thom. 1. 2. q. 104. art. 3.* alij aliter. Latè *Suar. de Legib. lib. 9. cap. 13.* Nam Lege Gratiæ statuta, cessavit Lex vetus. Christus enim Dominus est verus Legislator Novæ Legis *Joan. 1.* Et fide certum est ex *Trid. sess. 6. Can. 21.* in sua enim Lege præcepit adus externos, & internos: *Matth. 5.* Deditque præcepta moralia, nempe, quæ sunt de dilectione proximi, & inimicorum. Etiam varia consilia Evangelica Christus dedit: nulla tamen per se tulit præcepta judicialia; sed ad ea condenda potestatem dedit Ecclesie; & ideo sunt merè humana: sic Apostoli prohibuerunt esium sanguinis, & suffocati. *Act. Apost. cap. 15.* Aliaque Leges tulerunt; de celebranda die Dominica loco Sabbati, de jejuniis Quadragesimali, de bigamis non ordinandis, & alias, quæ in Canonibus Apostolorum inveniuntur. Deditque præcepta ceremonialia positiva, ut sunt sacramenta, & sacrificium, quæ quatenus spectant ad Divini cultus substantiam perpetuo duratura, & immutabilia sunt. Alia ceremonialia Ecclesie dispositioni reliquit.

85 Præcepta moralia Legis veteris licet cessassent, quatenus præcisè positive Divina, respectu illius Populi, non cessaverunt, quatenus naturalia: sicut enim Gratiæ non destruit, sed perficit naturam, ita Lex Gratiæ non infirmavit, sed confirmavit Legem Moralem. *Rom. 3. v. 31.* ibi: *Legem ergo destruximus, per Fidem abfit: sed Legem statuimus.* Lex antiqua quoad præcepta judicialia nunc est mortua, quia Populum Christianum non obligat, non tamen est mortifera, nam ejus præcepta possunt à Legislatoribus Christianis, ut Politici succitari: & defacto varia Exodi præcepta à Pontificibus succitata sunt. *In C. 1. de Homie. C. 1. de Adulter. C. 1. & seq. de Injurijs.* Et à nostris Regibus est succitata in *L. 70. Taur.* Lex retractus ex *Levit. 25.* Non tamen possunt

fufcitari Leges illas, quas Christus D. reprobavit; sic Lex, quae jubebat oculum pro oculo, dentem pro dente dare. *Exod. 21. v. 24. Deut. 19. v. 21.* reprobata est *Matth. 5. v. 38.* similiter. Lex repudij, *Deut. 24.* abrogata est *Matth. 5. v. 32.* Etiam poterant fufcitari illa praecepta caeremonialia, quae tantum religiosa erant, ut patet ex *C. unic. de Purific. post part.* Secus verò illa, quae erant *Typica*, & Christum venturum praefigurabant: haec enim non tantum mortua, sed mortifera sunt, & nulla Lege possunt nunc induci, ne conjugatur umbra cum Sole, & Synagoga cum Ecclesia. Observatio enim eorum praedicit Fidei veritati, secundum quam confitemur, illa mysteria jam esse completa. *D. Thom. 3. 2. q. 104. art. 3. Latè Suar. de Legib. l. 9. c. 10. Gunz. in C. 3. b. t.*

T I T. III.

De Rescriptis.

86 **R**escriptum, quod sic à rescribendo dicitur, est species Legis. Differunt tamen in eo, quod Lex de his, quae frequentur, non de his, quae raro accidunt, constituitur, *L. 3. ff. de Legib.* Rescriptum verò regulariter obcatus, & ad personas particulares expeditur, & dirigitur, *L. 2. C. de Legib.* habet tamen vim Legis, si à Principe generaliter servari mandetur, vel ad corpus juris reducat. *C. 19. de Sent. & re Judic.* Secus si solum ad decidendam controversiam inter partes emanet: quia tunc solum vim sententiae, & juris particularis habet, *L. 2. C. de Legib.* & sic definitur: *Est responsum Principis, vel contra, vel extra, vel secundum jus, in scriptis datum ad instantiam alicujus, vel supplicantis, vel consulenti. l. fin. C. de Legib.* Si à Principe Saeculari dimanet schedula Regia: *Hispanè Cedula Real,* & si haec in alia posteriori sit inserta. *Sobrecarta* dicitur. Et Latè acceptum comprehendit privilegium, dispensationem, & beneficium Principis, solumque à Principe supremo conceditur; *arg. C. 10. c. 11. b. t.* Differt ab Epistola Decretali, quia licet haec saepius ad consultationem, vel relationem partium, vel Judicium inferiorum expediatur, illam necessario non supponit. A vivae vocis oraculo differt; quia hoc verbo, seu viva voce datur, licet postea redigatur in scripturam.

87 Omnis alijs divisionibus minoris momenti, est celeberrima Rescriptorum divisio, in *rescripta gratia*, & *rescripta justitia*. Rescripta gratia sunt illa, in quibus à Principe aliquid liberaliter conceditur, vel praeter, vel contra jus commune; v. gr. quando conceduntur resignationes beneficiorum. Rescripta *justitia*, seu *ad lites*, sunt, quae administrationem justitiae respiciunt; v. gr. quando Judices delegantur, ut de causa cognoscant, vel quando in ipsis rescriptis jus partium declaratur: in dubio tamen rescriptum justitiae esse praesumitur, cum gratia, ut potè facti, non praesumatur, nisi probetur, *C. 2. de Schismat.*

88 Rescriptum impetrare possunt omnes, in quibus non specialiter prohibetur, *C. 3. c. 10. b. t.* illud nequeunt impetrare servus, *L. 1. C. de Precib. Imperat offer.* nisi ex causis atrocissimis, *L. 2. ff. de Hic, qui sunt sui*; falsus, aut revocatus Procurator, *C. 33. b. t.* Haereticus, *L. 2. C. de Sum. Trinit.* Excommunicatus excommunicatione majori; & rescriptum ab ipso impetratum, etiam si sit toleratus, est ipso jure nullum, *C. 1. b. t. in 6.* nisi impetretur super ipsa excommunicatione, quia hoc est necessarium ad sui defensionem. Et cum prohibito loquatur de Rescripto Pontificio, utpote odiosa, non est extendenda ad rescriptum impetratum à Principe Saeculari. Rescripta gratiae potest quis pro alio sine ejus mandato impetrare, ut contra *Abb. tenet Suar. de Leg. lib. 6. cap. 13. à n. 6. ex l. 6. c. de Precib. Imperat offer.* non verò acceptare, quia est actus personalis, *C. 17. de Praeb. in 6.* Nullus tamen potest pro alio rescriptum justitiae impetrare, ne lites potius crescant, quam diminuantur, nisi habeat speciale mandatum, *C. 28. c. 33. b. t.* Potest tamen illud pro se impetrare Procurator generalis, vel conjuncta persona, ut pater, filius, frater, affinis, vel libertus, *C. 28. §. sunt b. t. quin & alij si faveat consuetudo.*

89 Rescripta ut bene notat *Gunz. in c. 2. b. t. n. 15.* communiter habent quinque partes. Scilicet, 1. *narrationem facti.* 2. *responsum, seu concessionem.* 3. *clausulas.* 4. *datam.* 5. *signaturam.* In 1. parte preces, seu narratio ejus, quod postulat, continetur. Narratio rescripti, prout est relationis supplicantis repetitio nihil probat, nisi quantum à supplicante probetur, *L. 5. C. de Fide instrum.* nec quatenus est nova quadam expressio relativa rerum, quas rescribens commemorat, nisi faciant aliquid ad principalem causam rescrip-

cripti: vel ita in illis fundetur rescriptum, ut alias non concederetur, *C. de Privileg. in 6.* In 1. ergo parte debent exprimi nomen supplicantis, & ultimi possessoris beneficii, si de eo agatur, *C. 17. b. t.* personam supplicantis qualitas, si Laicus, Clericus, vel regularis sit, *C. 5. de Confirm. util.* Si sit constitutus in Dignitate, *C. 8. b. t.* An habeat impedimentum Canonicum: etiam exprimenda est qualitas beneficii, an sit Dignitas, *C. 8. b. t.* An sit curatum, *C. 16. de Praeb. in 6.* An exigat residentiam, *C. fin. de Cleric. non resid.* An sit beneficium Ecclesiae Cathedralis, *C. 4. de Praeb. in 6.* An Saeculare, vel Regulare, *C. 5. de Praeb. in 6.* Si impetrans habeat beneficium, etiam tenue, *C. 42. b. t.* vel vicarium, si est perpetuum, *C. 27. b. t.* Etiam exprimi debet valor beneficii, modus, quo vacat, *C. 6. b. t. in 6.* Si alter habeat jus ad beneficium, quod vacat. Si alius est in possessione etiam colorata, *C. 6. de Consec. Praeb.* vel in detentatione, nisi sit aperte injusta: Si alius prius super illo beneficio rescriptum impetravit, *C. 31. b. t.*

90 Impetrans ergo rescriptum debet exprimere omne illud, quod si sciret Princeps, vel negaret, vel difficilem redderet eius concessionem. Hinc in rescriptis justitiae, vel ad lites debet fieri mentio conditionis personae, vel privilegij, quando dat formam rescripto impetrando: item transactionis, jam à partibus imita, *L. 16. C. de Transact.* litis pendentis, si in litis praedictum cedat, *C. 1. & fin. ut lite pendet.* Sententiae jam latae seu appellationis interpositae, *C. 12. b. t. c. 3. de Confirm. util.* nec debet reum trahere ad iudicium ultra unam dietam extra suam Diocesim, *C. 11. §. 1. b. t. in 6.* Dieta Legalis constat 20. miliaribus Legalibus, *L. 3. ff. de Verb. signif.* Milliare Legale seu Italicum constat mille passibus, in nostra Hispania Dieta decem leucis constat *L. 18. tit. 7. lib. 1. R. Cass.* nec post rescriptum gratiae ab aliquo impetratum potest de novo aliud impetrari ab alio, nisi facta mentione prioris in sua petitione, *C. 31. b. t.* Et interea in secundo derogatione regularis. Cancellariae de non tollendo jus alteri, quomodo libet per priorem concessionem quaesitum.

91 Hodie preces coram Rescribendis signaturae, seu gratiae, seu justitiae juxta negotij qualitatem, proponuntur. Hi offerunt R. Pontifici libellos supplices, quod si continent gratiam, respondet Papa: *placet, aut fiat, & statim sit gratias, arg.*

c. 4. 17. q. 1. si postulant justitiam, respondet: *Audiat N. Episcopus, & faciat justitiam.* Et haec est 2. pars rescriptorum. In 3. ponuntur clausulae, quarum aliqua, & si non apponantur, insunt, ut si *ita est, Cap. 12. b. t. Si preces veritate nuntiantur, C. 2. b. t. l. 37. tit. 18. p. 3.* ut rescriptis tam gratiae, quam justitiae, vel ponitur, vel subintelligitur haec clausula: *Salvo jure alterius*, quod si rescriptum in damnum tertij cedat in re gravi est ipso jure nullum, hac non expressa. Etiam apponitur haec clausula: *Si dignus sit*, hoc est, si is, cui datur beneficium non habeat impedimentum Canonicum. Et hoc rescriptum dicitur *in forma dignum.* Et tunc non fit provilio, sed debet fieri à delegato, si provilus dignus sit. Et haec clausula etiam rescriptis inest. Quando fit *in forma gratiosa* solum datur mandatum ad executores deputatos, ut provillum in possessionem inducant. Etiam solet apponi haec clausula: *Non obstantibus quibuscumque privilegiis, sub quacumque forma concessis*, per quam privilegia omnia derogantur, nisi in corpore juris sint inclusa, vel habeant clausulam, ut non derogentur, nisi fiat eorum mentio, vel per modum contractus concessa sint, in meritorum compensationem. Clausula: *Quod si non omnes interesse possint, duo, alterve eorum nihilominus exequatur*: comprehendit impotentiam facti, & juris, quae verificata in uno, alter potest procedere, & terminare causam, *C. 13. b. t.* Etiam solet apponi haec clausula: *Appellatione remota*, *C. 1. b. t. l. 13. tit. 23. p. 2.* Et in uno articulo appolata extenditur ad omnes articulos connexos, *C. 41. de appell.* & per ipsam saltem de Jure Canonico solum tollitur regulariter appellatio iurisdictionis, & non legitima de sententia, *C. 46. de Appellation.* Haec sunt clausulae usitatas frequentiores, quae solent in rescriptis apponi, imò & aliquae insunt ipsis rescriptis, licet non apponantur; pro quantum latiori explicatio- ne vide *Barbos. de Clausul.*

92 4. Pars continet, *Datam* in qua exprimitur annus Incarnationis, & Pontificatus, & dies Expeditionis; non per cifras, & notas numerorum, sed per integras voces, *C. 7. b. t. c. 6. de Vid. instrum. l. 4. c. de Diversis rescript.* 5. pars continet *signaturam* ubi R. Pontifex signat, & sub- scribit nomen suum. Rescripta gratiae bullantur cum filo serico rubro, & croceo, rescripta justitiae cum filo cannabini, in quo plumbum pendet, *C. 5. c. 6. de Crimin. fals. arg. l. 6. c. de Divers. rescript.* Debet pra-